UNIVERSITARIA
BIBLIOTECA
ALESSANDRINA
G
a
9
ROMA

DIATRIBA
DE ADVENTV
S. IACOBI
IN HISPANIAM.

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. PRINCIPI

MARIO CHISIO
S. R. E. GENERALI.



AVTHORE

P. FR. FRANCISCO A S. AVGVSTINO MACEDO
Minorita Luſitano Theologiæ Profeſſore.

ROMAE.

Typis Philippi Mariæ Mancini. M. DC. LXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Donum S.D.N. Alexandri Septimi

ILLVSTRISSIMO, ET EXCELLENTISSIMO PRINCIPI.

MARIO CHISIO S.R.E. GENERALI.

QVI Authores, ij quaſi Parentes librorum ſumus: atque adeò quo iure hi liberis, quos gignũt ſplendida, & fauſta ſidera optant, eo nos libris, quos edimus illuſtria, & benigna optamus. Hac ego ratione fœtui huic meo ſtellam adhibere ſtudui, quæ illius natales conſpicuos, & fortunatos red-

deret: Rapuit me Chiſia Domus, in qua ſunt Aſtra Gentilitia: imo & Sol, ex quo ALEXANDER fulſit, qui non obtudit Stellas, ſed extudit. Has inter tua Excellentiſſ. Princeps mihi iampridem arriſerat beneuolentia ſingulari; & certam Patrocinij, ſi quando eſſet opus, ſpem fecerat. Itaque fidenter acceſsi, nec repulſam timui ab eo, apud quem habitat humanitas. Equidem cum in te multæ, ac præclaræ dotes confluxerint, quas nemo non admiratur, fateor, nulla te magis, quam iſta, quæ in Principibus deſiderari ſolet, ſuauitate ingenij, & morum commendari. Hæc te in excelſo iſto militaris ſtantem dignitatis faſtigio, omnibus amabilem intra admirationem reddit. Nihil ex armis, quæ tractas, rubiginis contrahis, nihil aſperitatis ex ſago, & armatus Romana in Vrbe, vltra paludamentum, togæ ſtudia exerces, & iudicio Patritium, & conſilio Senatorem, & prouidentia Conſulem agis. Bellicos terrores procul amandas, vt domi pax ſit, qua ſane fruimur, &

abun-

abundamus: Conſtant vbique egregia illa tuæ tempore peſtilentiæ, & eluuionis pietatis, & quæ deinceps exhibuiſti in rempublicam beneficentiæ, & charitatis officia, quæ memoriam Pompeianæ magnificentiæ renouarunt. Cuius tu præſtantiſsimi & Ducis, & Ciuis in gerenda Republica partes agis, eó maiori voluptate Ciuium, quòd nomen cum præferas Marij, re Pompeium exhibeas. Nec tu minus eo litteratos homines diligis, & colis. Si enim ille ad Philoſophi Poſsidonij fores laureatos faſces applicuit, tu inter lauros victrices, & Quercus fœlices tuas, Doctorum hominum hederas, & oleas admittis; nec extra Romam ſemel, vti Pompeius, ſed intra vrbem, & domi tuæ ſæpe huius in litteratos beneuolentiæ documenta præbes. Id ego iam pridem expertus, meum iſtud, quale quale ſit, opus ad te deſero, vt illud nominis vmbra tui tegas, & virtutum radijs illuſtres; nec alienum à dignitate, & munere tuo eius eſt argumentum, cùm Sanctus Iacobus, de cuius in Hi-

ſpa-

ſpaniam aduentu agitur, Ducis eximij aduerſus hoſtes Fidei ſæpius partes egerit, ac viſus ſit in acie, & in caſtris cum militibus verſari, & quod tu in Romana Eccleſia obis, illud in Hiſpanica officium exercere. Quare cum & Auctor ſit multis nominibus tuus, & opus hoc nomine non alienum, vtriuſque Patrocinium minimé, opinor, detrectabis. Nec ingratum tibi exiſtimo fore munus, quod á grato animo proficiſcitur, & vſui, ad honeſtum inter tot bellica, & ciuilia negotia diuerticulum, eſſe poterit. Vale.

A D

AD LECTOREM

PRAEFARI *opus non erat niſi mos in legem abiiſſet. Hæc iubet. Paucis dicam: Cauſas, & rationem ſuſcepti operis habes eius initio. Tuum erit de iis iudicare. De diſpoſitione, ac ſtylo eadem tibi poteſtas eſto. Illud moneo: ne velis, quod alij ſolent, formam operis ad tuum genium fingere, & quod ad tuum palatum non faciat, id putare inſipidum. Vti cuique ſua eſt facies, & habitus, ita ſtylus, & dictio. Iniurius eſſet naturæ, qui ad ſua lineamenta aliorum vultus exigeret. Iniquus arti, qui ad ſuum ſtylum alienum reuocaret. Aliud vnus, aliud alter ſtomachus condimentum appetit. Alius exilem, & gracilem, alius procerum, & obeſum habitus decet. Sine me meo ſtomacho, & habitu frui, nec ſtylum corrigas, qui mihi eſt ingenitus. Corrum-*

pes

pes enim, non corriges; per me ſemper licuit aliјs ſua dictione vti, liceat mea per te mihi. Non detrecto corrigi, ſicubi errem, ſum quippe ingenuus, & Auguſtini, quo nemo candidior, diſcipulus. Sed nolo emendari, niſi iure, ac vbi inſit error. Sunt verò, qui quod errore caret, quòd genio non reſpondeat ſuo; in eo erratum velint. Id ſanè deprecor, quod ſit cùm iniuſtum, tum ineptum; de me ita iudica, vti me de te iudicare velles. Homo homini Deus, & homo homini lupus. Ita ſumus natura comparati. Cæterum vtcunque de me ſtatuas, illud comperies, me vni maximè, in iјs quæ ſcribo, veritati ſtudere. Vale.

IN:

INDEX
RERVM NOTABILIVM.

A

ADVENTVS S.Iacobi in Hiſpaniā, malè negatur adducto primatu Eccleſiæ Toletanæ. fol.136.
Malè item ex codice manuſcripto Toletano, qui & ſuſpicionis argui poteſt, & eo admiſſo nihil probatur.fol.143.
Probatur traditione firmata authoritatibus Romanorum Pontificum, Breuiariorum Gotticorum. fol.150.& 165.
Probatur authoritate Conciliorum.fol.154.
Aduentui S.Iacobi in Hiſpaniam non ſuffragatur Concilium Baſileenſe.157.
Amor nimius interdum officit.1.
Degenerat in cupidinem.2.
Quantus ſit Hiſpanorum amor in S.Iacobum.ibid.
Ob nimium amorem in eundem Sanctum Hiſpani inter ſe diſſentiunt.3.
Andiat Ciuitas in Hiſpania quænam ſit 18.206.
Angli primum Magiſtrum habuerunt Ioſephum ab Arimathia.59.
Antipapa.Burduni Antipapæ hiſtoria narratur.139.148.
Antipapæ tres, Paſchale vero & vno Pontifice viuente.171.
Apollonij auctoritas contra aduentum S. Iacobi in Hiſpaniam.14.
Reſpondetur huic auctoritati.64.
Apoſtoli quando diuiſi ſint ad prædicandum.13.55.56.
An ante lintei viſionem dicuerit Apoſtolis prædicare gentibus.13.
An aliquis Apoſtolorum ex perſecutione excitata in illos potuerit egredi ex Hieroſolymis.56.
Apoſtoli quibus in locis ſint ſepulti.75
Auctores qui negant aduentus S.Iacobi in Hiſpaniam.11.

Aucto-

Auctorum antiquorum loquentium de aduentu S. Iacobi fides infirmata per aduerſarios.19.20.
An vllus ex antiquis Scriptoribus aſſerat illius aduentũ ? 21.
Auctorum Hiſpanorum diſſenſiones non officiunt aduentui S.Iacobi.73
An omnes auctores, quos refutat Baronius ſint refutandi? fol.87.88.&c.
Authorum pro aduentu S.Iacobi Catalogus. à pag. 209. ad finem.
Nonnullæ auctoritates contra aduentum S.Iacobi.17.18.
Defectus auctoritatis deſumptæ ex inopia auctorum aſſerentium aduentum Sancti Iacobi expenditur, & exſuatur. fol.86.& ſeq.

B

BAronius defenditur.8.& ſeq.
In quo peccarit Baronius in hac materia.10.
Obiectio Baronij deſumpta ex viſione lintei proponitur, & ſoluitur fusè.63.& ſeq.
In tomo primo Annalium confirmat ſententiam de aduentu S.Iacobi, quam tradiderat in Martyrologio.90.
Baronius ſibi opponitur.91.
Baronij contra Iacobi in Hiſpaniam aduentum argumenta proponuntur.87.90.93.
Bracharenſia Concilia afferuntur, & expenduntur.à pag.104 ad 112.
Bracharenſia Concilia quot, & quæ.104.
Bracharenſe Concilium de nouo inuentum excludendum an ne recipiendum.154.
Bracharenſis Eccleſiæ cum Toletana de Primatu contentio. fol.188.189.
Breuiarium Romanum emendatur ab Vrbano.VIII.circa ea, quæ ſpectant ad aduentum S.Iacobi.69.
Controuerſiæ habitæ in reſtituendis verbis, quæ à Clemente VIII.fuerunt ſublatæ in Breuiario circa aduentum S. Iacobi.69.70.&c.
Quanta ſit fides habenda Breuiarijs.71.

Ex Breuiariis præcipuè probatur aduentus Sancti Dionyſii in Gallias.72.
Breuiarium Gotticnm,ſeu Mozarabicum continens aduentum Sancti Iacobi in Hiſpaniam à Romanis Pontificibus approbatum.151.
Breuiarium Mozarabicum à S.Iſidoro ordinatum eſt: 161. & 166.
Breuiaria,quæ eundem aduentum continent recenſita. 151.

C

CAlliſti II.commentarij vt legitimi approbantur. 89.
Hoc etiam fatetur Baronius ex Innocentio II.ibid.
Chronologia. Ratio chronologica, qua probant aduerſarij S.Iacobum non veniſſe in Hiſpanias.12.13.&c.
Soluitur ratio aduerſariorum chronologica.55.
Collimbria auxilio S. Iacobi capitur à Fernando.38.
Collimbriæ venuſta, & elegans deſcriptio.38.39.40.
Collimbria ſeptem Regum patria fuit.40.
Collimbrienſis Academia inſignis.40.41.
Collimbria Athenæ Luſitaniæ.41.
Concilium.ex Concilio Rhemenſi deducitur validum argumentum pro aduentu S.Iacobi in Hiſpanias. 51.
Obiecta ex Concilio Toletano, & Bracharenſi aduerſus aduentum S.Iacobi ſoluuntur.94.& ſeq.
Nec Concilium Toletanum, nec Bracharenſe quidquam decreuit contra aduentum S.Iacobi.96.97.98.&c.
Quid actum ſit in vnoquoque Concilio Toletano.96.& ſeq.
Concilia Bracharenſia quot, & quid in eis actum.103.& ſeq.
Examinantur decreta Conciliorum Toletanorum,& Bracharenſium.fusè fol.98.99.& ſeq.
Cornelius Eunuchus fuit ne Proſelytus, an Gentilis. 61. &c.
Fuiſſe Gentilem probatur.62.&c.
Ordo ſubſcribendi in Concilijs eſt argumentum dignitatis ſubſcribentium.113.& 125.
Qui primi eſſe debent ſedendo, & ſubſcribendo in Concilijs.114.

Concilium Bracharenſe primum repertum in Archiuio Alcobacenſis Cœnobij in Luſitania cuius fidei habendũ ſit. fol.154.
Concilium Baſileenſe ante ſecundam ſeſſionem legitimum fuit, poſt illegitimum.160.
Concilium Lateranenſe quartum quo Pontifice Imperatore, ac tempore celebratum fuerit.171.
Quæ in eo acta ſunt recenſentur.169.
Concilia Toletana multa numerantur.125.
Ponitur ordo Epiſcoporum in ijs ſubſcribentium.124.

E

Eccleſiæ Toletanæ antiquitas, & primatus excludit aduentum S.Iacobi,& cur.23.& ſeq.
Eccleſiæ Gallicienſis antiſtes vſurpat nomen Apoſtolici Primatis, & ideo excommunicatus eſt.51.
Antiſtes Eccleſiæ Compoſtellanæ omnibus Hiſpaniarũ præponitur.53.
Eccleſia Toletana à quo, & quo tempore fundata.172.
Eccleſiæ Toletanæ primus Epiſcopus.123
Primatui Eccleſiæ Toletanæ officit aduentus S.Iacobi in Hiſpaniam, quamuis non officiat veritati Conciliorum.124. & 136.
Eſt omnium conſenſu Auctorum caput totius Hiſpaniæ.124
Quo tempore hunc Primatum obtinuerit.132.
Priuilegia Pontificum in gratiam illius data.136.
Contentio de Primatu Eccleſiæ Toletanæ non eſt definita in Concilio Lateranenſi IV. 187.
Sed indeciſa relicta.135.& 190.
Eccleſia Conſtantinopolitana quo tempore Primatum ſupra alias tres Patriarchales obtinuerit.135.
Eccleſia Mediolanenſis, Rauennati prælata eſt.114.
Eccleſiæ Compoſtellanæ initia recenſentur.150.
Ex Edicto Caroli Magni probatur aduentus S.Iacobi.53.
Eliſabethæ Reginæ Luſitaniæ Compoſtellam peregrinatio. fol.

Epi-

Epiſcopi in ſeſſionibus ſeruare debent tempora ſuæ ordinationis,ita,vt qui prius ordinatus eſt præcedat.117.
Epiſcopus cui conceſſus eſt vſus Pallii alijs Epiſcopis etiam antiquioribus anteponitur,nō tamen Archiepiſcopis.113.
Epiſcopi primi Hiſpaniæ qui,& quando.46.78.79.83.
Epiſcoporum ſubſcriptio,& ſeſſio in Concilijs à 113.ad 120
Eugenius I.Epiſcopus Toletanus, non Elpidius. 24.25.123.

F

FRanciſcus Xauerius, Elogium Sancto Franciſco Xauerio. fol.191.

G

GAllica gens ſuarum traditionum tenax. 7.& 65.76.77.
Galli aiunt apud ſe eſſe Caput Ioannis Baptiſtæ.77.
Galli ſibi vendicant multa corpora Apoſtolorum.76.
Gallia an habeat Corpus S.Dionyſii.77.
Galli ſuo argumento conuincuntur.78.
Gentiles veniebant *Hieroſolymam adorandi cauſa.62.*
Probatur hoc multipliciter,& exemplis.ibid.
Multi Gentiles à S.Maria Magdalena conuerſi antequam Petrus haberet viſionem lintei.63.
Gregorij VII.teſtimonium adductum contra aduentum Sancti Iacobi in Hiſpanias.17.
Expenditur dictum Gregorij teſtimonium.83.
Fusè explicatur in quo ſenſu locutus ſit Gregorius.ibid.

H

HÆreſis in Hiſpania rariſſima fuit.46.
Hæreſis Priſcillianiſtarum damnata in Concilijs Bracharenſibus.106 107.&c.
Eiuſdem hæreſis euerſor S.Leo Magnus.107.
Capitula contra hæreſim Priſcilliani proponuntur.108.
Hiſpanus nonniſi ab Hiſpano vincitur.4.

Hiſpanorum diſſenſio de loco, in quem appulerit Sanctus Iacobus. 5.
An Hiſpani iure conquerantur de Cardinali Baronio. 7.
Hiſpani inter ſe diſſentientes de loco aduentus S.Iacobi dant occaſionem dubitandi. 21.22.
Hiſpanorum in S.Iacobum clientela, affectus, & deuotio, & quam validum ex hoc argumentum pro eius aduentu. fol.34. &c.
Cur Hiſpani non elegerint in Patronum, Sanctum Petrum, Paulum, aut alium. 35.
Hiſpanorum fides, doctrina, pietas, ac religio probat aduentum S.Iacobi. 43. & ſeq.
Hiſpanorum cura in propagatione fidei. 47. & ſeq.
Hiſpani ideò inter ſe diſſentiunt, quia firmiter tenent S.Iacobum in Hiſpaniam veniſſe.
Honorius III. Pontifex prorogauit deciſionem litis inter Archiepiſcopum Toletanum, & Braccharenſem de Primatu motam. 190.
Idem iam egerat Innocentius, Honorii prædeceſſor ibi.
Hormiſdæ decreta ſpectantia ad S.Iacobi aduentum ad examen vocantur. 94.95. &c.
Quas Epiſtolas ſcripſerit Hormiſda. ibid.

I

S. Iacobum in Hiſpaniam veniſſe certum eſt. 25.
S. Iacobi corpus è Iudæa in Hiſpaniam tranſlatio; & quis illud tranſtulerit? ſub quo Rege? & quam efficax ex hoc deducatur argumentum de aduentu S. Iacobi in Hiſpanias? 31.32. & ſeq.
S.Iacobus cur ante alios Apoſtolos obierit. 33
S.Iacobus quot modis faueat, & protegat Hiſpanos. 36. &c.
Cur Hebræi in S.Iacobum odio exarſerint. 45.
Quo tempore S.Iacobus profectus fuerit in Hiſpaniam. 58.
Et qua occaſione. ibid.
An licuerit S.Iacobo, aut alij Apoſtolo prædicare Euangelium ante viſionem celebrem lintei. 59. &c.

Pars

Par affirmatiua defenditur, probatur, & ſoluuntur obiectiones in illam. 60. & ſeq.
S.Iacobus mortuus eſt decem plus, minuſue annos poſt mortem Chriſti. 144.
S.Iacobi corpus inuentum Compoſtellæ. 150. 181.
S.Iacobus paucos in Hiſpania ad fidem conuertit. 176.
Imperatores in Concilijs poſt Epiſcopos ſubſcripſerunt excepto Baſilio, qui poſt Patriarchas ante Epiſcopos ſubſcripſit. 114.
Henrici Imperatoris contentio ſuper inueſtituris cum Pontificibus Romanis ſublata. 171.
Innocentij Primi teſtimonium adductum ab aduerſarijs cōtra aduentum S.Iacobi in Hiſpania. 17.
Expenditur, & ſaluatur dictum teſtimonium. 78. 79. &c.
Adducuntur verba Innocentij, & in fauorem aduentum S.Iacobi explicantur. 82.

L

Legati Romani Pontificis omnibus Patriarchis, & Primatibus præeſſe debent. 118.
In Concilijs primi omnium ſedent, & ſubſcribunt. 118. & 114.
Leonis Tertij ſcripta, & ſermones illius eſſe aſſeritur. 92. 93. &c.
Luſitanorum in tuenda, & propaganda fide ſtudium. 47.
Luſitani primi nauigationis, & propagationis in externas prouincias Religionis authores. 47. 48.

M

Manuſcriptum Toletanum à Garzia Loayſa inuentum probatur commentitium eſſe ex erroribus quos continet. 168.
De eo nulla fit mentio in Concilio Lateranenſi. 169.
Errat in Chronologia Temporum, & Perſonarum ſucceſſione Pontificum, & Imperatorum. 171.

Ma-

Maria Virgo apparet S.Iacobo, qui illi Templum ædificat in Hiſpania. 151.
Apparet D. Idelfonſo Archiepiſcopo Toletano, eique ſacrã caſulam affert. 185.
Quomodo & quando ei apparuerit. 179.
Metropolitani quinque recenſentur in Hiſpania. 142.
Metropolitanus certus de ſuo Primatu non poteſt cedere locum inferiori Epiſcopo. 118.
Miſſa Muzarabica quæ. 161.
Quibus verbis in ea conficerent Corpus,& Sanguinem Chriſti Domini Hiſpani. 162.
Vetus vſus celebrandi Miſſam S.Iacobi. 167.
Mondæ ſeu Mundæ fluuij egregia deſcriptio. 39. 40.

O

ORdines plures in Hiſpania Sancto Iacobo dicati. fol.42.

P

PApæ qui Breuiarium correxerunt. 69.
Papæ qui affirmant aduentum S.Iacobi in Hiſpaniam. 87. ad 93.
Papæ qui videntur negare. 17.82.83.94.
Horum teſtimonia explicantur. 80.81.83.84. 85.94.96.
An Sanctus Paulus venit in Hiſpanias. 84. & 195.
An eius aduentus officiat aduentui S.Iacobi. 200.
An & quomodo prædicauerit Euangelium.200
Qui authores negent eum veniſſe in Hiſpaniam, qui affirment. 80.195.196.
Petrus an venerit in Hiſpaniam. 35.
An Philippus ille, qui baptizauit Eunuchus Candacis fuerit Apoſtolus.57.
Quinam ex Patribus id aſſerant. 58.
Pontifices Romani probarunt aduentum S.Iacobi in Hiſpaniam. 149.

Præ-

Prædicatio. Quis omnium primus iuxta Ximenium prædicauerit Euangelium in Hiſpanijs. 23.
Eugenius fundauit Eccleſiam Toletanam. 24.
Quam copioſi fructus ex Hiſpanorum prædicatione. 49.
Prædicatio Euangelij fuit ne licita ſtatim poſt mortem Chriſti, non tantum Iudæis, ſed etiam Gentibus? 60.&c.
Non licuit ante viſionem lintei prædicare Euangelium intra Iudæam, licuit tamen extra. 64.
Primates quomodo ſedent, & ſubſcribant in Concilijs. 113. ad 120.
Primates an, & quot fuerint in Hiſpania. 121. ad 136.
Primatus Toletanus nihil iuuat ad S. Iacobi aduentum in Hiſpaniam. ibid.
Malè ex eo Primatu ratio petitur à Ximenio. ibid.

R

Rationes quibus probant aduerſarij S. Iacobum non fuiſſe in Hiſpania. 12. 13. 14.
Rodericus Ximenius primus omnium in aduentū S. Iacobi in *Hiſpaniam* inuehitur. 4.
Reprehenditur Ximenius. *9*.
Ipſe fatetur eſſe traditionem de aduentu S. Iacobi. *29*.
Plures errores Ximenij in eius hiſtorijs. *66*. &c.
Obiectiones Ximenij contra aduentum S. Iacobi. 15.
Ximenius probatur minus fidelis in Hiſtorijs ſcribendis. fol. 145.
Recenſentur illius errores circa originem Gotthorum, & aliarum Gentium ſeptentrionalium, & circa originem Ciuitatis Toleti. 146.
Circa Regum connubia, filios, & obitus. 147.
Circa Hiſtorias Eccleſiaſticas, & res Luſitanas. 148.
Rodericus Ximenius nunquam in ſuis ſcriptis negauit aduentum S. Iacobi in Hiſpaniam. 186.
Manuſcriptum Toletanum non eſt opus Roderici. ibi. Fuit homo eloquens omnibus corporis, & animi dotibus ornatus. 138.

Index Rerum notabilium.

S

Spondani querela de Hiſpanis in fauorem Baronij. 7.
Spondanus vellicatur, & pungitur. 9.
Spondani argumentum refellitur. 73.

T

Toletana Concilia accuratè proponuntur, & examinantur pro D. Iacobi aduentu in Hiſpaniam à pag. 96. ad 104.
Toletum Ciuitas Antiquiſſima quo tempore fundata. 146.
Traditio antiquiſſima probat efficaciter aduentum S. Iacobi in Hiſpaniam. 25. & ſeq.
Quanta ſit vis traditionis. 26. 27. & ſeq.
Breuiarium Romanum, Suarez, Ribadeneyra, alijque hanc traditionem Hiſpanicam teſtantur. 28. & 29.
Multa traditione probantur, ad quæ non eſt neceſſaria Scriptura ſacra. 65.
Traditionem aduentus Sancti Iacobi eneruare conatur Ximenius. 66.
Quam firmiter Galli ſuis adhæreant traditionibus. 75. &c.
Tribunal Inquiſitionis pro fidei incolumitate in Hiſpania. fol. 46.

V

Victoria inſignis habita ab Hiſpanis ad Clauigium ope S. Iacobi aduerſus Mauros parta. 37.
Alia non minor victoria in expugnanda Collimbria. 38.

FINIS.

ERRATA.

Pag. 16. tranſette l. *transferre*.
pag. 18. adduxerit l. *adduxiſſe*. pag. 29 afferetur. l. *affertur*. pag. 39. nullum. l. *nullus*.
pag. 45. eos pertinuiſſet l. *ad eos*.
pag. 49. baptizato l. *baptizata*.
pag. 54. ſolos l. *ſolius*.
pag. 75. Matthæi Amalphi l. *Matthæi Salerni, Andreæ Amalphi*.
pag. 109. directam l. *directa*.
pag. 126. euim l. *eum*.
pag. 118. ei prælatus l. *ijs*.
pag. 137. momenta l. *momento*.
pag. 140. periculi l. *Supplicij*, & poſt vnam lineam ſupplicium l. *periculum*.
pag. 150. textam l. *texam*.
pag. 160. obentæ l. *obteptæ*.
pag. 166. quarqum Tridentinum l. *quartum Toletanum*.
pag. 170. vſuris Viduarum l. *cura Viduarum*.
pag. 184. comendeſſet l. *contendiſſet*.
pag. 177. 1124. l. 1200.
pag. 180. ad Anno l. *Annum*.
pag. 181. piam l. *pia*.
pag. 207. Ahulfada l. *Abulfada*.
pag. 216. fuerit l. *fuiſſet*.

REGESTVM.

§ §2. ABCDEFGHIKLMN OPQRSTVXYZ

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii*

INDEX
CAPITVM.

CAP.1. *Occaſio, & ratio ſuſcepti operis* pag.1.
Cap.2. *Quid Cardinalis Baronius ſenſerit, & cur, & an Iure de eo Hiſpani querantur.* p.7.
Cap.3. *Rationes dubitandi an S.Iacobus in Hiſpaniam venerit proponuntur.* p.12.
§.1. *Chronologiæ.* p.12.
§.2. *Proponitur hæc difficultas Chronologica verbis D.Roderici Ximenij in Concilio Lateranenſi apud Baronium, & Loayſam.* p.15.
§.3. *Adducitur correctio antiqui Breuiarij Romani, in quo affirmatio aduentus in Hiſpaniam S.Iacobi Apoſtoli tollitur, & in traditionem mutatur.* p.16
§.4. *Afferuntur duo Innocentij I. & Gregorij VII. ex Baronio aduerſus acceſſum Iacobi Apoſtoli in Hiſpanias teſtimonia.* p.17
§.5. *Arguitur ex defectu authoritatis priſcorum Authorum ac ſuſpecta fide illorum, qui ab Hiſpanis recentioribus adducuntur.* p.19
§.6. *Ex ipſorummet ſcriptorum Hiſpanorum inter ſe contentione arguitur S.Iacobum in Hiſpanias non veniſſe.* p.21.
Cap.4. *Ex antiquitate, & Primatu Eccleſiæ Toletanæ oſtenditur S.Iacobum Apoſtolum in Hiſpania non fuiſſe.* p.23.
Cap.5. *Authoris ſententia ſtatuitur, affirmans S.Iacobum in Hiſpaniam veniſſe.* p.25
Cap.6. *Ex tranſlatione Corporis S.Iacobi Apoſtoli ex Iu-*

daa in Hiſpaniam eius viui in eam aduentus probatur. pag. 31.

Cap.7. *Hiſpanorum iu S.Iacobum Apoſtolum Clientela, & eiuſdem in eoſdem Patrocinium aduentui in Hiſpaniam ſuo teſtimonium idoneum reddunt.* p.34.

Cap.8. *Hiſpanorum in retinenda fide incorrupta: in tuenda conſtantia, in propaganda diligentia, argumento ſunt, eos à Iacobo Apoſtolo Euangelium accepiſſe.* 43.

Cap.9. *Nouum ex Actis Concilij Rhemenſis ſub Leone IX. anno* 1049. *celebrati pro D. Iacobi in Hiſpanias aduentu argumentum.* p.51.

Cap.10. *Argumenta propoſita quæ impugnabant Iacobi in Hiſpaniam aduentum ſoluuntur.* p.55.

.1. *Satiſfit primo ex difficultate Chronologiæ deſumpto. pag.* 55.

§.2. *D. Roderici* **Ximenij** *adducta ſuperius ratiocinatio perſpicuè refellitur.* p.65.

§.3. *Satiſfit obiectioni ex correctione Breuiarij Romani facta à Clemente VIII.* p.69.

§.4. *Reſpondetur argumento ab Authorum Hiſpanorum diſſenſione, & contentione ducto.* p.73.

§.5. *Teſtimonia Innocentij I. & Gregorij VII. contra producta ex Baronio expenduntur.* p.78.

Cap.11. *Soluitur argumentum obiectum ex defectu authoritatis.* p.86.

§.1. *Reſpondetur Obiectioni petita ex teſtimonijs aliorum Pontificum.* p.86.

§.2. *Soluuntur obiecta ex Concilijs.* p.96.

Antiloquium ad Argumentum ſumptum ex primatu. p.113.

Cap.12. *Ratio petita ex antiquitate, & Primatu Eccleſiæ Toletanæ diluitur.* p.121.

Cap.13. *Non tanti eſſe teſtimonium D. Roderici Ximenij, etiamſi illam ſententiam traderet, vt propter illud* S.Ia-

S. Iacobi in Hiſpaniam aduentus in dubium reuocari debeat. p.142.
Cap.14. Aduentui in Hiſpaniam S. Iacobi Eccleſiaſtica authoritas ſuffragatur. p.149
§.1. Probatur ex ſummis Pontificibus. p.149.
Cap.15. Probatur ex Concilijs. p.154.
Cap.16. Probatur ex Breuiarijs. p.163.
Cap.17. Falſum eſſe, & commentitium iſtum Commentarium manuſcriptum Toletanum à Garcia Loayſa inuentum perſpicuè oſtenditur. p.168
Cap.18. Alij errores in ea enarrationis parte, quæ ad Compoſtellanum Epiſcopum pertinet, commemorantur, & confutantur. p.176.
Cap.19. Hanc ratiocinationem Roderici Ximeni nullatenus eſſe, idoneis argumentis ſuadetur. p.183.
Cap.20. Tandem ea narratio maioribus argumentis apertæ falſitatis conuincitur, & prorſus refellitur. p.187.
Cap. vltimum. Obiectio ex Pauli ad Romanos cap.15. num.19. Epiſtola remouetur, & aditus Iacobo in Hiſpaniam ex Anaſtaſij doctrina aperitur, & liber clauditur. p.195.

INDEX AVTHORVM.

A

Abbas Vrſpergenſis
Abrahamus Ecchellenſis
Alanus Copus
Albertus Magnus
Anaſtaſius Antiochenus
Antonius Caracciolus
Antonius Auguſtinus
Ambroſius
Ambroſius Morales
Apollonius
Aratoc
Athanaſius
Auguſtinus
Author Chronici Caſſinenſis
Anaſtaſius Sinaita Anonymus autor
Aprincius
Alfonſus Toſtatus
Antoninus
Archiuium Lateranenſe
Archiuium Alcobatianum
Archiuium Sanctæ Crucis Conimbricenſe.

B.

Barboſa
Baronius
Bartholomæus Rainaldus
Baſilius
Beda
Bellarminus
Bernardus de Britto
Biſciola
Biuar
Boerius
Boſius
Breuiarium Romanum
Breuiariũ Mozarabicum
Breuiarium Comenſe
Breuiaria diuerſa
Bzouius.
Braulius

C

Caliſtus ſecundus
Caietanus
Carolus Borromæus
Caſſaneus
Cherubinus
Chryſoſtomus
Ciaconius
Cornelius
Cornelius à Lapide
Concilium Sueſſionenſe

Con-

Concilium Rhemenſe
Concilium Gerundenſe
Concilium Londinenſe
Concilium Elibertinum
Concilium Baſilienſe
Concilium Lateranenſe
Concilia Braccharenſia
Concilia Toletana
Cyprianus
Cyrillus Hieroſolymitanus.
Caniſius

D

Didacus Caſtillo.
Dominicus Soto

E

Epiphanius
Euſebius.
Euthymius.
Eleca Epiſcopus Cæſaraugustanus

F

Flauius DeXter.
Freitas.
Fulbertus Carnotenſis

G

Garcia Loayſa.
Garibay.
Gaſpar Sanchez.
Gelaſius.
Genebrardus.
Gloſſa ordinaria.
Gloſſa inter linealis.
Gracianus.
Gregorius Turonenſis.
Gregorius Nicenus.
Gregorius Magnus.
Gregorius Septimus.
Gilbertus de Tornaco
Guilielmus Durantes

H

Hilarius
Hieronymus.
Hilarius.
Hincmarus.
Hormiſdas.
Hugo Cardinalis.
Hugo Portugallenſis

I

Innocentius I.
Ioannes Salazar Tamayus.
Ioãnes Solorzano Pereira.
Ioannes de Boſco.
Ioannes Lorinus.
Ioannes Arboreus.
Ioannes Grimaldus.
Iſidorus.
Iſmael Abulfada.
Iulianus Perez.
Iulianus Toletanus.
Iulianus Pomerius.
Iuſtinianus.
Ianſenius.
Iacobus Midendorpius
Iacobus Philippus Bergamas

Iacobus de Voragine
Ioannes Belletus
Ioannes Raulinus
Ioannes Vaſæus

L

Leo III.
Leo IX.
Ludouicus Romanus.
Lupoldus Bebembergius.
Luitprandus

M

Maffeius.
Magiſter Hiſtoriæ Scholaſticæ.
Maldonatus.
Mariana.
Maſtrillus.
Menochius.
Michael Erze Ximenius.
Miſſale Ambroſianum.
Miſſale Goticum.
Miſſalia Varia.
Martinus Polonus
Michael Deluillar

N

Nicephorus.
Nicolaus de Lyra
Notkerus

O

Oecumenius.
Oſius.
Ouidius.
Otto Friſingenſis

P

Pandulphus.
Petrus Gregorius.
Platina.
Plutarchus.
Petrus de Natalibus
Prudentius
Pelagius Ouetenſis

Q

Queuedo.

R

Reſendius.
Ribadeneyra.
Rodericus Ximenius.
Rodericus à Cugna.
Rogerius.
Rota Romana

S

Salmeron.
Seraphinus.
Seraphinus Binius.
Spondanus.
Stephanus VI.
Suarez.
Sugerius.
Supplementum Bibliothecæ Patrum.
Santpirius

T

Tertullianus.
Theodoretus.
S. Thomas.
Toletus.

Tri-

Trithemius.
Turpinus.
Turrecremata.
Tyrius.
Thomas Stapletonus
Thomas Cantipratentis
Thomas à Villanoua

V

Valdez.
Vaſconcellus.
Vaſquez.
Virgilius.
Vvilielmus Malmesburienſis.
Vincentius Ferrerius
Vincentius Bellouacenſis
Vſuardus
Vvfalafridus Strabo

Y

Yepes.

Z

Zurita.

FACVLTAS R. P. GENERALIS.

INſpectis approbationibus poteſtatem facimus authori hoc opus excudendi in Conuentu noſtro S. Mariæ de Araceli die 22. Maij 1662.

Fr. Michael à Sambuca Miniſter Generalis.

HAnc Diatribam de Aduentu S.Iacobi in Hiſpaniam ex commiſſione Noſtri Reuerendiſs. Patris Generalis à me reuiſam ad ſtudioſorum vtilitatem publica editione dignam cenſeo. Datum Romæ in Conuentu S.Mariæ de Araceli die 20. Maij 1662.

Fr. Petrus Paulus Lotticus Sacræ Theologiæ Lector Generalis,& Diffinitor.

HVnc librum iuſſu Reuerendiſs. P.Noſtri Miniſtri Generalis recognoui, & dignum iudico qui typis mandetur.

Fr. Alexius Romanus Sac. Theologiæ Lector Generalis,& Diffinitor.

Imprimatur.

Si videbitur Reuerendiſs. P. Mag. Sacri Palatij Apoſtolici.

O. Gar. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Raymundus Capiſuccus Sacri, & Apoſt. Pal. Mag. Ord. Prædicatorum.

DIA-

DIATRIBA DE ADVENTU S. IACOBI IN HISPANIAM.

CAPVT PRIMVM:

Occaſio, & ratio ſuſcepti operis.

NOCERE interdum amorem, cum nimius eſt, experientia docet. Adeo extrema vitioſa ſunt, vt cum ad ea deflectimus, à ratione, ac virtute deuiemus. Id & in Iure deprehenditur, quod cum ſummum eſt, iniuria fit. Sed in amore mirere, quòd ab odio cum longiſſimè abſit, tam officit amico, quàm ſolet officere inimico. Illud vulgo paradigma affertur. Simiam Catulos ſuos miro

Nimius interdum amor officit.

amore proſequi, & tam eos arctè amplecti, vt interdum ipſo amplexu occidat. Atque adeo verum ſit dicere, cum eos deperit, cogere deperendo perire: ſed hoc in bellua, quæ ratione caret, vtcunque ferendum. Ab homine, qui rationis compos, & virtutis capax eſt, hoc vitium alienum eſſe debuit. Verum praua, ex labe illa prima originis, nobis innata libido, ſæpe rationem, iuſque peruertit. Itaque amore ſæpe abutimur ad perniciem carorum, cum ijs vehementer volumus: Quanquam non iam ille amor ſit, ſed cupiditas; imò & inuidia, proindeque degener, ac in odium vergens affectus. Vſuuenire ſolet, vt quod vehementer amamus, eo magnopere frui cupiamus, ac iuxtà nolimus, vt fruantur alij; qui ſi eiuſmodi participes eſſe conentur, in eos odium ex cupiditate, ac liuore exiſtit; quare malumus rem dilectam extinguere, quàm cum alijs communicare. Itaque ſi originem attendimus, Amor eſt; ſi exitum, Cupiditas, & odium. Satis dolendum, quod in vitium virtus tranſeat; ſed multò maximè dolendum, quod res, quæ amatur pereat; nam vitia emendare poſſumus, rem quæ perijt, recuperare non poſſumus.

Degenerat in cupidinem.

Quorſum hæc? Non ab re ſane! Quantus ſit Hiſpanorum omnium in ſanctum Iacobum amor nemo neſcit: cum non eius extent igniculi, ſed pateant incendia. Verum quod ea Gens in populos diuiditur, dum ſinguli Iacobo frui tanquam proprio volunt, & in ſuam Prouinciam trahunt, alij alios repellunt, ne eodem potiantur, & in cupiditatem, & liuorem abeunt, vnde turbæ, & factiones exiſtunt; ac proinde in odium mutuum amor

Hiſpanorum in S. Iacobum quātus amor.

amor primus degenerat; &, quod deterius eſt, dum vnuſquiſque ad ſuam prouinciam Iacobum ſtudet rationibus trahere, alij aliorum argumenta refutant, & eneruant, adeo vt impugnando ſingula, nulla ratio habendi reliqua eſſe videatur. Planius dico. Aduenisse Iacobum in Hiſpaniam certo eſt certius. Illud minus conſtat, in quam Prouinciam venerit. Cum ergo Hiſpania in multas ſit diſtributa, ſingulæ eum ſibi pio quodam ſtudio vendicant, atque adeo ſuum dicunt, idque rationibus conantur oſtendere, quæ cum hinc inde apponantur, dum alij alios refutant, dubium reddunt, in quam venerit; cum autem non potuerit venire in Hiſpaniam, niſi per vnam Prouinciam, & ij monſtrent in nullam certam, contra ſingulas argumentando, veniſſe, fit vt, an in Hiſpaniam venerit, dubitetur.

Ex eo diſſidium.

Nec ſatis eſt ijs Iacobo *frui, quod facile* eſſet ad *componenda diſſidia*, ita vt illum ordine quodam, ſerieque temporis vna poſt aliam Prouincia exceperit, ſed vnaquæque illum cum prærogatiua primatus habere vult: tam enim ſunt Religionis amantes, vt primas habere velint, non contenti habuiſſe, niſi prius alijs habuerint. Itaque de primis contendunt, quòd turpe videatur in ſecundis, tertijſue conſiſtere. Ita ſunt ad honores Hiſpani comparati, vt aut ſummos, aut nullos velint. Igitur Tarraconenſis Prouincia ad ſe vocat. Bętica ſibi deberi ait. Luſitania ſuum eſſe contendit. Callæcia ad ſe trahit. Omnes eum apprehendunt, & dum conantur arripere, in diuerſa trahunt, & lacerant, vt nuſquam videatur eſſe, quòd apud ſingulas eſſe minimè patiantur. Accidit Iacobo

Singulæ Prouinciæ in eo fruendo primas partes vēdicant.

Plutarch

mortuo, quod ille Pancratiaſtæ (cui Teletiæ nomen fuit) Græco viuo, qui cum victor in ludis Pythijs exiſteret, magnũque erga ſe omnium ſtudium accendiſſet, anſam dedit, contentioni inter ſe multorum, ad quos nimirum is victor pertineret. Exarſere omnes habendi cupiditate; ea incitati, in eum irruunt; alij eum hinc, alij inde, alij aliunde apprehendunt, & dum magna vi ſinguli ad ſe trahere nituntur, miſer Iuuenis in partes diſtractus, ac dilaceratus perijt. Nec opus eſt exemplum in vſum reducere. Satis in rem quadrat.

Venuſtum paradigma

Haud temerè dico. Niſi Hiſpani inter ſe mutuò opinionibus diffiderent, & diffidendo alij alios impugnarent, non auderent exteri hanc veritatem in dubium reuocare. Nec antequam noſtri inter ſe contenderent, eam inficiari auſi ſunt. Tùnc auſi, quando viderunt nos in factiones diuidi, & bella ciuilia imitari: minimè auſuri ſuis nos telis petere; ſi noſtra in ſe intenta, ac non in nos conuerſa vidiſſent. Noſtris ergo nos argumentis oppugnant: ſciunt nimirum ea valida, & robuſta eſſe, ac Hiſpanum non niſi ab hoſte Hiſpano ſolere vinci, atque vti adamas adamante frangitur, ita Hiſpanum Hiſpano infringi. Ex quo igitur Rodericus Ximenius, ſummus id temporis omni genere litterarum vir, in Lateranenſi ſub Innocentio III. Concilio, ſui aduerſus competitores Primatus aſſerendi ſtudio, excogitatis argumentis aduentum Sancti Iacobi in Hiſpaniam negauit, cœperunt illum externi ſcriptores inficiari; quemadmodum poſtea referemus. Acceſſerunt Roderico Ximenio alij, non qui negarent aduentum, ſed de illius inter ſe tempore, locoque diſputarent,

Hiſpanus nõ niſi ab Hiſp. vincitur.

Roderici Ximenij Toletani Archieſ. in Lateranenſi Concilio de aduentu Iacobi in Hiſpaniam opinatio.

Quos ea animos Aduerſarijs fecerit.

quorum argumentis alij ſcriptorès vſi eum in dubium reuocarunt. Nec temerè, aut incertè loquor. Nemo fermè eſt Author Hiſpanus, qui de antiquitate, aut primatu Eccleſiæ in ſua, vbi natus eſt, & in qua ſcribit, Prouincia ſcribat, quin conetur aſſerere, ac perſuadere S. Iacobum primùm in eam appuliſſe, & ibi prædicaſſe, imo & Eccleſiam inſtituiſſe. Quo fit vt aliorum idem ſibi vendicantium rationes, & argumenta confutet: vt mutuò ſibi fidem detrahant, & Cadmi militum inſtar, ſuis ſe ſtylis confodiant. Idque ingenuè fatetur vnus ex ijs haud obſcurus author Ioannes Salazar Tamayo, quem paulo poſt citabimus. Nec ſolum de loco, ſed etiam de tempore diſputant, vt nihil certi videantur ſtatuere; atque adeo hiſtoriæ veritas laborat. Audiamus Idoneum ſanè (vt Baronium in ſuum locum reſeruemus) Spondanum in notis ad annum Chriſti 44. num. 7. *Diuiſionem*, inquit, *Apoſtolorum, cum alij in alios annos referant, Hiſpani illi, qui contra Baronium ſcripſerunt, vt ſuam tueantur traditionem de Sancti Iacobi in Hiſpaniam acceſſu, nonnullis haud adeo contemnendis coniecturis, & argumentis probare nituntur, tunc contigiſſe, quando Petrus, & Ioannes petierunt Samariã, vel etiam poſt Domini Aſcenſionem, & aduentum Spiritum Sancti, etiam ſi non omnes ad ſuas ſtatim prouincias profecti fuerint. Quorum tamen argumenta alij, qui eadem licet cum ipſis de acceſſu S. Iacobi ſentientes, alijs certis, vt putant, rationibus refellunt: Eruntque opinor alij, qui iſtorum rurſus argumentationes confutabunt. Vt nouum profecto ipſimet ruinæ periculum afferre videantur.*

[Margin: Ioannes Salazar Tamayus.]

[Margin: Spondanus]

[Margin: Spondani de diſſeſione Hiſpanorum inter ſe iudiciũ]

Quæ Auctori occaſio operis?

Diu eſt, quod optaueram huic malo, meo interpoſitu, mederi, ſed nunquam antehac per occupationes, & peregrinationes licuit, nec dabatur occaſio calamum non vocatum huc aduertere, nec aliena ſcribere à meis, in quibus verſabar, ſcholis audebam, ſed cum hoc anno M.DC.LX. in Alma huiuſce Vrbis Academia Cathedra de Hiſtoria Eccleſiaſtica de nouo à Summo Pontifice Alexandro VII. eximio litterarum, & litteratorum hominum Patrono, inſtituta, & mihi aſſignata fuerit, ac ipſe me legendi curſus eò deduceret, vbi Apoſtolorum diuiſio, & in ſuas prouincias miſſio facta fuit, nactus idoneam de S. Iacobi Prouincia, & in ea prædicatione dicendi occaſionem, eam arripere decreui, meumque in hac controuerſia calculum inter noſtrates ſcriptores doctiſſimos ponere. Omnia quæ allaturus ſum, in ipſis fontibus vidi, nec quenquam recentium Hiſpanorum, qui hac de re ſcripſerunt attingere prius volui, quam meo proprio labore, ac ſtudio hæc, qualiacunque demum ſint ſcripta, maiori ex parte elaboraſſem.

CA-

CAPVT II.

Quid Cardinalis Baronius ſenſerit; & cur, & an Iure de eo Hiſpani querantur.

QVERIMONIAS primum remoueo: tum noſtras de Cardinali Baronio, quod aduentum Sancti Iacobi in Hiſpaniam reuocarit in dubium, & infuſa dubitationum caligine, obſcurarit: tùm externas de authoribus noſtris; quòd Baronium eo nomine malè accipiant, & tantum virum, cui noſtra ſecula paucos pares tulerunt, acerbius quàm par eſt, reprehendant. Id ego autem non ex Hiſpanis, ſed Italis, ac Gallis authoribus noui, qui de noſtris in Baronium inuectiuis queruntur. Ex quibus vnus Spondanus ad annum 44. num. 4. ſic ait. *Aduerſus Baronium conſurrexit pro ſuarum Eccleſiarum traditione vniuerſa Hiſpania, multis ea de re à quocunque hominum genere editis ſcriptis, quæ ſi vidiſſet Baronius, etiamſi id non neceſſariò euincant, quod volunt, ſunt eiuſmodi, vt eum potuerint in priori ſententia continere. Nec ſanè diſplicet zelus eorum, ſed vix eſt, vt alicui homini non Hiſpano probari poſſit affectus ille nimius, quo in tanti viri memoriam cunctis Catholicis venerandam inuehi gaudent. Gaudeant magis in fide perſtare, quam ſiue ab ipſis Apoſtolis, ſiue ab eorum ſucceſſoribus acceperunt, & præteritorum memores in timore, & tremore ſalutem ſuam operentur.* Grauiter de noſtris Scriptoribus queritur Spon-

Iure ne, an iniuria de Baronio Hiſpani Authores querantur?

Spondani de Hiſpanis in Baronii gratiam ſpecioſa querela.

Spondanus, nec exiſtimo grauius quenquam de alio ſolere queri, cùm eos præſertim moneat de cura ſalutis æternæ, ac nimium illum Hiſpanicum affectum vniuerſæ Hiſpaniæ attribuat, quaſi omnibus probetur ſtudium illud, ſiue,vt appellat,*Zelus*, Baronium reprehendendi. Illud mihi diſplicet, quod ait *Homini non Hiſpano probari non poſſe Zelum tuendi* ſuas traditiones, quod eo cogor ad tanti viri reprehenſionem peruenire. Cùm ſi conferantur quæ Galli ſcriptores aduerſus Baronium ſcribunt, multò plura, & acerbiora in eum dicta inueniantur. *Non videmus manticæ quod in tergo eſt*. Non ſunt Hiſpani noſtri magis tenaces ſuarum, quàm ſuarum Galli, traditionum, nec minus irarum aduerſus eos, qui improbare conantur, intemperantes. Condonandum Hiſpanis eſt, ſi quid acerbius in Baronium dicunt in cauſa tam graui, quam qui impugnat veluti iugulum honoris Religioſi petit, quo nomine Hiſpania tota de Iacobi Apoſtoli aduentu gloriatur.

Excuſantur Hiſpani

Equidem lecto Baronio non video, cur noſtri tam cum eo acerbè expoſtulent. Nam nec imprudenter, opinor, ſe geſſit, nec immoderatè. Non enim ſententiam illam primam ſuam, quam in Martyrologio tenuerat, prorſus retractauit, vt oppoſitam ſequeretur, ſed exponens quæ poſtea in Concilio Lateranenſi à Roderico Ximenio contra ſunt allata, tam ſe eo teſtimonio moueri dicit, vt in dubium reuocet, quæ in martyrologio antea dixiſſet. Ex ore Baronij verba deſumamus. Is anno 816. narrato euentu litis inter Rodericum Ximenium, & alios Metropolitas Hiſpanos ſuper Eccleſiarum primatu agitata, & producta Ximenij ratiocina-

Purgatur Baronius.

Baronius

cinatione. *Hic fuit*, inquit, *ille inſignis Rodericus Archiepiſcopus Toletanus rerum Hiſpanicarum hiſtoriæ ſcriptor ore omnium prædicatus, cuius fateor perculſus authoritate ſubſtiterim aliquantiſper, & reuocarim in dubium, quæ in notis ad martyrologiũ de aduentu Iacobi in Hiſpanias, dixiſſe meminerim, atque omnia altiori indagine, grauiorique expendenda cautè putarim, ob ea quæ à tanto viro in tanto Concilio ſine tanti aduerſarij redargutione reperiuntur aſſerta.* Modeſtè quidem, & grauiter iſta Baronius. Quem enim illa non mouerent? Itaque dubium eum acta eo in Concilio reddiderunt. Cur ergo tam acriter, & acerbè Hiſpani quemadmodum ſcribit Spondanus, eum eo expoſtulent cauſam, ego certè non video. Non nego Baronium illo ipſo loco multa de nouo excogitaſſe argumenta, quæ dubitationem illam ſuam augerent, & in oppoſitam partem inclinarent, in quam demum propendere videatur; ſignificaſſeque cum ea non diluerit, imo exaggerauerit à prima ſententia demotum fuiſſe. Verùm cum id apertè non dicat, ſed rem in medio relinquat, non eſt, quòd eum præuaricationis inſimulemus, aut inconſtantiæ arguamus. Ego certè non auſim, quod Spondanus affirmat, aſſerere, *Baronium hic retractaſſe quæ pro eadem Iacobi profectione olim in notis martyrologij dixiſſet*. Nec enim perinde eſt reuocare in dubium, ac retractare. Cum qui reuocat in dubium, ſuſpendat iudicium; qui retractat, priori relicta, imo & improbata ſententia aliam amplectatur. Quod Baronium nego feciſſe. Spondanus vellicatur

Mihi quidem etſi patria Luſitanus, atque adeo Hiſpanus, ſim, ac ex ijs qui potiori fortaſſis iure Ia- Ximenius reprehenditur.

cobum Apoſtolum ad ſe trahunt, altius iſta pendenti illud videri ſolet, iuſtius nobis de Ximenio, quam de Baronio eſſe querendum; Cum ille auſus fuerit primus, quod ſciam, aduentum Iacobi in Hiſpaniam apertè, ac peruicaciter negare, & traditioni manifeſtæ refragari. Huic ego ſanè merito ſuccenſuerim. Baronio minus, quod illum ſuæ dubitationis Authorem habuit, quem niſi haberet, non dubitaret, cum præſertim Baronius Hiſpanus non eſſet. Vnum eſt quod in Baronio non probo, tantum fidei habere Ximenio voluiſſe, vt eius authoritatem tot alijs argumentis pro Iacobi in Hiſpanias aduentu, ac vni præcipuè Traditioni prætulerit. Nec enim quicquam, cum illam declamationem (eiuſmodi quippe eſt) accuratè legiſſem, de opinione, qnam imbiberam dubitaui; imo cum lentius rationes eius hominis expendi, penè contempſi, quod cum non pauca in ijs futilia, tùm quædam falſa deprehendi, ac omnia comperi à feruido ingenio temerè, ac inconſideratè profecta. Itaque nihilo magis ſum motus, quàm rupes, cum fluctibus quatitur; ac miror tam ijs Baronium moueri potuiſſe, niſi fortè; vt ſuſpiciones etiam meas, & coniecturas aperiam, occaſione illa vti Baronius voluit, & ſpecioſum dubitationi ſuæ titulum obtendere, vt honeſtius dubitaſſe videretur.

In quo peccauit Baronius

Et quoniam nonnulli cum Baronio Authores partim ante illum, partim poſt illum in dubium reuocent acceſſum huius in Hiſpaniam Apoſtoli ijſdem fermè, quæ apud Ximenium ſunt argumentis vſi, operæ pretium duco eos recenſere, vt hac ratione minuam inuidiam in Baronium concitatam,

Authores qui negant Iacobi in Hiſpaniam acceſſū

tam,

tam, cum eius cauſam in plures contulero; Inter Antiquiores numerandus eſt Antonius Auguſtinus, apud quem citatur illa hiſtoria Roderici Ximenij, quam è manuſcripto antiquo Toletano produxit Garcias Loayſa in Epiſt. Iuris Cano. tom.2. lib.19.tit.16.cap.2.p.179. & 1.p.lib.1.tit.11.cap.2. & Ioannes de Boſco in ſua Biblioteca Floriacenſi, qui adducit teſtimonium P. Gregorij VII. lib.1. Regiſt.Epiſt.64. ad Epiſcopos, & Reges Hiſpaniæ, quem Ioannes Solorzano Pereyra cum D.Gregorio Magno videtur citando confundere. Baronius anno Chriſti 44. num. 7. & tom. 9. annal. anno Chriſti 816. & Spondanus ad annum 44.& Biſciola, & omnes alij Baronij traductores, & ſequaces. Et Ioannes Lorinus in Acta Apoſtolorum cap.12. verſ.2. pag.536. Animaduerto Garciam Loayſam virum eruditiſſimum, authorem eſſe Rodericum Ximenium negaſſe aduentum *Iacobi* in *Hiſpaniam*, & illud manuſcriptum Toletanum, in quo illius in Lateranenſi Concilio cauſæ diſputatio narratur idoneum eſſe, non aſſentiri tamen Ximenio, imo eo in loco, ideſt in notis ad Concilium Toletanum ſub Gundimaro Rege affirmare, Iacobum Apoſtolum omnino in Hiſpania Euangelium prædicaſſe; quod oportet obſeruare, eò quod video à nonnullis inter alios authores affirmantes aduentum minime illum citari, vnde aliquis ſuſpicari poſſet eum in oppoſita fuiſſe ſententia.

Antonius Auguſtinus.

Ioannes de Boſco.

Solorzano Pereira.

Baron.

Spond.

Biſciola

Lorinus.

CAPVT III.

Rationes dubitandi, an Sanctus Iacobus in Hiſpaniam venerit, proponuntur.

§. I. *Chronologia.*

PRæmiſſis auctoribus; quibus ij in eam ſententiam inducti ſint, rationibus videamus. Prima, & potiſſima eſt à Chronologia ducta, vnde inuicta argumenta peti ſolent. Ex ea ſic formant Aduerſarij Syllogiſmum. Vel Sanctus Apoſtolus venit in Hiſpaniam ante diuiſionem Prouinciarum inter Apoſtolos, vel poſtea. Non ante, non poſtea, ergo non venit. Propoſitio eſt iuſtum dilemma, & negari nequit; Aſſumptio ſi detur, illatio ſequitur, & conuincit. Tota vis redit ad minorem. Secunda pars, quòd ſit facilior probatur, nam diuiſio Prouinciarum, & Apoſtolorum ad eas miſſio, non niſi mortuo Iacobo contigit. Hic enim, vti ex ſupputatione annorũ ab omnibus ferme Chronologis recepta conſtat, occiſus eſt anno à Chriſto nato 44. poſt Aſcenſionem, 10. antequam apertum ad fidem Gentibus oſtiũ eſſet, hoc quippe non niſi poſtea liberato è vinculis Petro reſeratũ paradigmate obiecto lintei, quod habetur apud Lucam cap. 12. accidiſſe, in confeſſo apud omnes eſt; & latè oſtendit Baronius tom. 1. ad eum annũ, quem ſequ untur tum eius aſſeclæ, tum alij Scriptores. Quo autem anno facta fuerit ſortitio, & diſtributio Prouinciarum, de eo controuerſia eſt. Quidam

Dilemma à ratione temporis petitum.

Quo anno ſit Iacobus occiſus.

Luc. 12; Act.

dam ſtatim poſt Cornelij conuerſionem, & lintei viſionem, hoc eſt eodem anno 44. Claudij Imperatoris II. quod multis cum Baronio placet. Quidam non niſi poſt primum Apoſtolorum Concilium Hyeroſolimis celebratũ anno Chriſti, 51. poſt quæ Aſcenſum in Cœlum 18. Claudij 9. quemadmodum putat Baronius, factam malunt, quod quidem tradere videtur Chryſoſtomus Hom. 75. in Acta, & in Lorino videre eſt, tum Act. 9. tum 15. & alijs commentatoribus eius libri. Vtcunque ſit, nemo fermè eſt Auctor, qui neget Apoſtolorum diſperſionem poſt necem Iacobi factam eſſe, nemo qui affirmet antea contigiſſe, atque adeo, quæ erat ſecunda pars dilemmatis, nequit affirmari. Supereſt prima pars eiuſdẽ, nempe Iacobum antequã huiuſmodi diſperſio fieret Hiſpanias petijſſe; Hoc autem improbabile, imo & adinaton, multis eſſe monſtratur. *Primo, quia non licuit* Apoſtolis, antequã de Cœlo declaratum eſſet, Gentibus Euangeliũ prædicare; Igitur fas non fuit Iacobo prius, quã illa Diuinæ voluntatis manifeſtatio fieret è Iudæa ad Gentes proficiſci, mortuus autem erat Iacobus, cum illa viſio Petro apparuit, igitur antè venire non potuit. Secundo: ſi vnquam licuit venire Iacobum, tum certè fuit, quãdo lapidato Stephano perſecutio magna in Eccleſia, & Diſcipulorum diſperſio facta eſt, de qua Lucas cap. 8. act. Verum ſcriptura repugnat, cum excipiat Apoſtolos, negetque adeo eos fuiſſe diſperſos: ait quippe textus. *Omnes diſperſi ſunt per regiones, Iudææ, & Samariæ; præter Apoſtolos.* Exire igitur Iacobo non licuit, ſi erat Apoſtolus; cum Lucas diſertè dicat Apoſtolos manſiſſe; quid enim manifeſtius, quam illa exce-

Quando facta Prouinciarũ ab Apoſtolis inter ſe ad Euangelizandum partitio

Baronius Chryſoſt.

Lorinus

Ante lintei viſionem, & cõuerſionem Cornelij nõ licuiſſe Gentibus prædicari, aſſumitur.

Actor. 4.

Act. 8.

ceptio. *Præter Apoſtolos.* At dicet aliquis, poſteà exijſſe. Tempus certè non apparet, quæ eſt tertia negandi ratio; nam à cæde Stephani ad Iacobi necem quamuis ãni circiter decem interfluxerint; nulla tamen fuit occaſio egrediendi. Hæc enim vel eſſe debuit voluntaria, vel violenta. Illa nulla ratione nixa, atque adeo iuſta non erat. Hæc nulla item legitur fuiſſe, præter illam Stephani cauſa perſecutionem motam, igitur temerè affirmatur alia. Quarta ratio eſt: incredibile videtur eſſe, ſi hoc accidiſſet, Iacobum adijſſe Hiſpaniam, illud ſilentio prætereundum; tanta enim res erat, vt narrari debuerit ab auctore ſacro. Cum præſertim ille de Philippo commemoret iſſe in Samariam, & ibi euangelizaſſe, deinde monitum ab Angelo arripuiſſe viam, quæ deſcendit ab Hieruſalem in Gazam; & conuertiſſe ad fidem Eunuchum illum Aethiopem Candacis Reginæ AEthiopum; quem tamen conſtat Apoſtolum non fuiſſe; ſed vnum è ſeptem Diaconis. Si ergo Lucas tam de his accuratè ſcripſit, quæ ſanè non admodum ſunt illuſtria, quomodo prætermitteret rem tantam, tamque memorabilem, vti erat Iacobi maioris vnius è præcipuis in Hiſpanias Euangelij prædicãdi cauſa profectio? Ne alia commemorem; quæ de aliis Apoſtolis ſcripta reperimus, minus certè clara, quam fuit Iacobi profectio.

Exitus è Iudea, & in Hiſpaniam aditus Iacobo per tempus interdictus.

Nulla de illius Predicatione in Hiſpania mentio

Confirmatur huiuſmodi ratio Principalis ducta ex difficultate Chronologica, eo quod Apollonius vetus, & grauis auctor ſcribit. *Diuino monitu iuſſos Apoſtolos hærere duodecim annis in Hieruſalẽ.* Quod ſi verum eſt, non potuit Iacobus inde ad Hiſpanias proficiſci, cum anno poſt mortem Chriſti

Apollonii antiquiſſimi auctoris ſententia de Apoſtolorum profectione.

ſti 10. iugulatus ſit. Etſi autem hæc Apollonij ſententia inſolens videatur, atque ob id ne Baronio quidem probetur, indicat tamen Apollonium ſenſiſſe Iacobum ante mortem ſuam Hieroſolymis excedere non potuiſſe. Quod non leue momentum eſt auctoritatis contra Hiſpanorum Traditionem.

§. II. *Proponitur hæc difficultas Chronologica, verbis D. Roderici Ximenij in Concilio Lateranenſi apud Baronium, & Loayſam.*

QVoniam nulla re magis externi, quàm *D.* Roderici Ximenij authoritate mouentur, quemadmodum de Baronio proxime diximus, & nunc de Lorino erudito Authore obſeruamus, ac monemus, qui in eadem cum Baronio eſt naui Comment. in cap. Act. 12. num. 2. oportere exiſtimo poſtquam ſingula produxero argumenta, quæ hinc inde incertis, certiſque authoribus collegi, ea ipſa, quoniam apud eum ſunt, pene omnia verbis ipſius met Roderici Ximenij proponere. Sic ergo ille aduerſus Compoſtellanum in codice manuſcripto Loayſæ. Baronius. Lorinus.

Si inducat etiam primam Diuini Verbi promulgationem, & plurimorum conuerſionem ad fidem Chriſti in Hiſpania, qui Diuinam paginam nouerunt teſtimonium perhibeant. Ego tantùm legi datam ei fuiſſe poteſtatem prædicandi in Hiſpania; ſed interim cum per Iudæam, & Samariam Diuinam legem ſeminaret, ſub Herode Hieroſolymis truncato capite exhalauit animam, & Domino reddidit. Quomodo ergo prædicauit, quò nondum ingreſſus eſt? Aut ſine prædicatione quos obſecro conuertit ad Dominum? Roderici Ximenii iudiciũ ſuius verbis expreſſum.

Me-

Memini bene in primis me annis accepiſſe à quibuſdam Sanctis Monialibus, & Religioſis viduis paucos admodum eius prædicatione ad fidem conuerſos eſſe, in quacum tam exiguos progreſſus effici videret, in patriam reuerſus fato functus eſt.

Compendio dixit Rodericus, quæ nos latius dicendo in argumenta extendimus; at hoc ille præcipuè tanquam Achille vſus eſt ad Compoſtellanum Præſulem confutandum.

§. III. Adducitur correctio antiqui Breuiarij Romani, in quo affirmatio aduentus in Hiſpaniam S. Iacobi Apoſtoli tollitur, & in traditionem mutatnr.

CVm in antiquis Breuiarijs, quæ ante Clementem VIII. Pontificem in vſu erant, hæc eſſet de aduentu Sancti Iacobi in Hiſpaniam particula inſerta. *Mox in Hiſpaniam profectus ibi aliquos ad Chriſtum conuertit, ex quorum numero ſeptē poſtea Epiſcopi à B. Petro ordinati in Hiſpaniam primi directi ſunt.* In recognitione, & correctione facta à Clemente VIII ſic eſt correcta, & mutata. *Mox in Hiſpaniam adijſſe, & aliquos ibi conuertiſſe illius Prouinciæ Eccleſiarum traditio eſt.* Quæ correctio infirmat rei veritatem, cū ex affirmatione, quæ vna eſt formula ad certum aliquid ſtatuēdum idonea, in traditionem tranſierit: quaſi nollet Clemens Romani Pontificis approbantis authoritate penè propria acceſſum illum confirmare, ſed in Hiſpanicam nationem transferte, quo indicauit non admodum firmum eſſe, cui ſuum calculum ſubtrahebat. Idque ſenſerunt Hiſpani, qui de eo queri primum, mox turbari, & tumultuari cæperunt.

Mutatur affirmatio in traditionē Hiſpanicam.

§. IV.

§. IV. *Afferuntur duo Innocentij I. & Gregorij VII. ex Baronio aduerſus acceſſum Iacobi Apoſtoli in Hiſpanias Teſtimonia.*

DE teſtimonio Innocentij, quod ſubdit anno 816. Chriſti, tom. 9. argumento Chronologico Ximenij Baronius, hæc illius eſt eo loco ſententia. *Cæterum*, ait, *ſi conſulatur antiquitas, vnde omnino peruenerit* Euangelij *prædicatio in Hiſpaniam duo id Sanctiſſimi, atque doctiſſimi Romani Pontifices Innocentius I. & Gregorius VII. conſcripſerunt. Habet iſta quidem Innocentius in Epiſtola ad Decentium Eugubinum Epiſcopum. Legant*, inquit, *ſi in his Prouincijs, nempe Italia, Gallia, Hiſpania, & Africa alius Apoſtolorum inuenitur, aut legitur docuiſſe. Quod ſi non legunt, quia nuſquam inuenitur, oportet eos hoc ſequi, quod Eccleſia* Roma*na cuſtodit, à quo eos principium accepiſſe non dubium eſt. Hæc ipſe. Quibus luce clarius demonſtratur ante ipſius Innocentij tempora nec quicquam de Sancti Iacobi acceſſu in Hiſpaniam eſſe conſcriptum, dicam amplius, neque cognitum, vel ſi cognitum, certè creditum, neque poſt multa temporum ſecula. Siquidem* Gregorius *huius nominis Papa VII. in Epiſtola data ad Hiſpaniarum* Reges *Alfonſum, & Sancium, quæ ſcripta reperitur quarto kalendas April. indict.* 12. *qui numeratur annus Redemptionis milleſimus ſeptuageſimus quartus hæc ipſo ſui exordio habet. Cum Beatus Apoſtolus Paulus Hiſpaniam ſe adiiſſe ſignificet, ac poſtea ſeptem Epiſcopos ab Vrbe Roma ad inſtruendos Hiſpaniæ populos à Petro, & Paulo Apoſtolis directos fuiſſe, qui deſtructa Idololatria Chriſtianitatem fundauerunt, Religionem plantauerunt,*

Baronius

Innocent. I. epiſt. 1. ad Decentium.

Gregor. VII. epiſt. ad Reges Hiſpan.

& officium in Diuinis cultibus agendum oſtenderunt, & Sanctas Eccleſias ſuo ſanguine dedicauere veſtra diligentia non ignoret &c. Inferius vero ne quid temere effutijſſe videri potuiſſet teſtimonium adducit prædeceſſorum Romanorum Pontificum, & Sacrorum Conciliorum Hiſpanorum, ſic dicens. *Vnde enim non dubitatis vos ſuſcepiſſe* Religionis *exordium; reſtat vt inde etiam ſuſcipiatis in Eccleſiaſtico ordine Diuinum officium, quod Innocentij Papæ ad Eugubinum Directa* Epiſcopum *vos docet Epiſtola; quod Hormiſdæ ad Hiſpalenſem miſſa decreta inſinuant; quod Toletanum, & Bracharenſe demonſtrant Concilia.&c. Quis igitur non intelligat ex his, ignoratum hactenus ſeptem illos, quos recentiores tradiderunt Iacobi Apoſtoli fuiſſe Diſcipulos, quos non vnius Iacobi, ſed Principum Apoſtolorum Petri, & Pauli fuiſſe ex antiquitatis promptuarijs Gregorius prodit. Vnde magis, magiſque Hiſpaniarum* Eccle*ſia illuſtratur, vt quæ ab ipſis Apoſtolorum Principibus ſacrum acceperint Euangelium. Hæc nos docent Patres, & acta magni Concilij affirmare ſuadent.* Sic Baronius, & apud eum Pontifices. Miror tamen aliud pręclarum Stephan.VI. in Epiſt. ad Baſilium Imperatorem minime adduxerit, vbi ſic. *Inſtitutio enim, & Sacerdotium omnium, quæ in Vrbe ſunt Eccleſiarum à Principe Petro ortum accepit, per quem etiam nos ſinceriſſima, & puriſſima doctrina monemus omnes, & docemus.* Omiſiſſe item aliud Sueſſionenſis Concilij ſub Sergio Papa III. Ann. 309. celebrati Concilij. *Manifeſtum eſt per omnem Italiam Gallias, & Hiſpaniam nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos, quos venerabilis Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes.*

Quæ Romanæ Eccleſiæ doctrina eſt.

§.V.

§.V. *Arguitur ex defectu authoritatis priſcorum Authorum, ac ſuſpectâ fide illorum, qui ab Hiſpanis recentioribus adducuntur.*

HOc nos argumento primum petijt Ximenius, dum dixit. *Qui Diuinam paginam nouerunt teſtimonium perbibeant. Ego tantum legi datam ei fuiſſe poteſtatem prædicandi in Hiſpania &c.* Quibus verbis negat in ſacris litteris quicquam eſſe, quod ad cauſam faciat. Id in prima parte ſententię continetur. In ſecunda fatetur aliquid ſe legiſſe de facultate prædicandi in Hiſpanijs, ſed de acceſſu, & prædicatione contrarium legiſſe. Addit quippe. *Sed interim cum per Iudæam, & Samariam Diuinam legem ſeminaret ſub Herode Hieroſolymis truncato Capite exhalauit animam.* Hinc Baronius refutata auctoritate Compoſtellani Præſulis citantis pro ſe Calliſtum II. aduerſus Toletanum, ſic. *Compoſtellanus*, inquit, *ſuccubuit, cum ne dum Calliſtum, ſed nec aliquem alium haberet, quem de prædicatione Sancti Iacobi in Hiſpaniam in medium afferret authorem; quantumlibet benè veniſſet inſtructus, vt in tanta Synodo aduerſus tantum Aduerſarium cauſam ſuæ Eccleſiæ ageret, quem etiam puto, & ſponte abſtinuiſſe à citatione fabuloſi Turpini (ſi tamen illo tempore commentitius liber ille ſcriptus erat) vel à Pſeudo Iſidori ſententia, vel quod falſo affertur nomine Bedæ, vel alijs quos aſſertores eius ſententiæ poſtea prodidere.* Totam hanc Baronij periodum in ſuis commentarijs tranſtulit Spondanus ad annum Chriſti 44. num. 1.

Argumẽtum Ximenii in Lateran. Cõcilio.

Baronius.

Spondanus

Quos authores hic nominat, & improbat Cardinalis, eos ipſe citarat antea in notis ad Marty-

Authores à Baronio primùm pro aduentu in Hiſpaniam Iacobi citati.

rologium, nempè Turpinum in libro de geſtis Caroli Magni. Sanctum Iſidorum de vita, & morte Sanctorum cap.73. & Bedam in Collectaneis. Meminit etiam ibi Calliſti Papæ II. in litteris Apoſtolicis, & ſermonibus de eiuſdem translatione, & in quinque libris de miraculis S. Iacobi. Et Leonis III. in litteris de translatione eiuſdem Iacobi tertio Kalendas Ianuarij. Quarum exordium eſt. *Noſcat Fraternitas veſtra*. Et Innocentium II. in litteris quibus Papæ Calliſti II. commentarius comprobatur; in quo recitatur epigramma Fortunati de Martyrio Sancti Iacobi. Horum tamen omnium nunc eleuat authoritatem Baronius, & quidem ij ſuſpecti eſſe videntur, per ſingulos diſcurrendo.

Authorum affirmantium aduenisse Iacobum in Hiſpania fides infirmatur. Turpini Iſidorus Beda Calliſt. II.

Primus Turpinus videtur Fabuloſus, non minus quàm Rolandus, & alij Heroes ab eo inducti commentitij: ac proinde nullus eſt hic auctor apud Bellarminum in libro de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Secundus Iſidorus, *Pſeudo Iſidorus*, in eo libro dicitur à Baronio in annalibus, & Spondano eius ſectatore; & à Gabriele Biſciola altero Baronij Collectore. Eodem nomine afficitur Beda eo in opere de vita, & morte Sanctorum ab iiſdem tribus ſcriptoribus. Quod attinet ad Calliſtum Papam, eius monumenta, & epiſtolas non recipit Baronius, dum ait anno illo 816. narrando euentum litis inter Compoſtellanum, & Toletanum, Antiſtites non ceſſurum Compoſtellanum, ſi extarent illa Calliſti Papæ II. monumenta; quo ea inficiari videtur. Idem oportet iudicium ferat de epiſtola Leonis III. ſuper translatione corporis Sancti Iacobi. Quos autem poſtea Recentioris me-

Baronius

memoriæ ſcriptores adduxerunt inuecti potius, quam inuenti exiſtimari debent. Inter quos Flauius Dexter à multis Hiſpanis doctis, & antiquarijs hominibus ſuſpectus habetur. Eiuſdem notæ ſunt alij, qui cum ante motam litem nulli eſſent, ea mota, vnde vnde extare cœperunt. Quod non diſſimulauit Baronius exprobrare. Flauius Dexter.

Adijcitur, mirum eſſe neminem vetuſtum authorem ſiue Græcum, ſiuè Latinum, ſiue Gallum, ſiue Italum, ſiue Hiſpanum de eius in Hiſpaniam Apoſtoli acceſſu quicquam commemoraſſe. Excutiantur omnes Bibliothecæ, nullus ante eum Iſidorum, ideſt ad annum vſque 630. prodibit, qui de eo vel obiter meminerit. Quod certè argumento eſt illum minimè Hiſpaniam attigiſſe. Si enim attigiſſet, in ſcriptis Patrum aliquod eius rei, vel in annalibus ſcriptorum, vel in Epiſtolis veterum Pontificum, vel Conciliorum actis veſtigium extitiſſet. Ex ſilētio authorum antiquorū arguitur Iacobum in Hiſpaniam non veniſſe.

§. VI. Ex ipſorum met Scriptorum Hiſpanorum inter ſe contentione deducitur S. Iacobum in Hiſpanias non veniſſe.

TEtigeram hoc initio: ſed leui tamen brachio & obſcurius attigeram. Nunc agam, & accuratius; ſed paucis. Quot ſunt in Hiſpania Prouinciæ, tot huiuſce contradictionis teſtes ſunto. Vtar verbis idonei ſcriptoris noſtræ ætatis Hiſpani (is eſt Ioannes Salazar Tamayo) qui de hac authorum inter ſe Hiſpanorum contentione in notis ad Aulum Halum priſcum è Burdegala, ſed Ciuitate donatum Toletana, Poetam, ſic ſcribit. *De* Ioannes Salazar Tamayo.

portu

De prærogatiua antiquitatis Hiſpanorum inter ſuſcriptorum contentio.

portu; quo ſoluit Apoſtolus noſter cruenta inter litterales Hiſpaniæ populos, licet, pia, contentio eſt. Pro Carthaginis Spartaria emporio ſtat noſter Halus. Pro ſua opinione ſtat Sandoual Hiſt. Tud. fol. 15. quem nos ſubſecuti fuimus in Hiſtoria. S. Epitatii cap. 2. num. 6. fol. 73. Pro Valentia Scolanus. Pro Tarracone Ponſycart. Pro Bracbara Accugna. Pro Betica illius ſcriptores. Ex quo argumentum formatur hunc in modum. Non conſtat in quam partem Hiſpaniæ Iacobus appulerit, alijs alias impugnantibus, & quidem Hiſpanicis argumentis, ergo dum non conſtat, quò appulerit, imo cum conſtet ad nullum portum appuliſſe, ſequitur non veniſſe in Hiſpaniam. Nam vt veniret, debuit aliqua parte intrare, facta autem partium diſtributione, ſingulæ excluduntur; ergo nulla intrauit, atque adeo Hiſpaniam non acceſſit. Optimè quippe à loco ſicut à tempore argumentamur, vt quemadmodum, quod nec hoc, aut illo tempore fieri potuit, infectum monſtratur; ita quod nec iſta, nec illa parte in domum aliquam, quæ plures aditus non habeat, intrauit, nulla ratione intrare potuit. Applicemus argumentum rei, de qua quærimus. Iacobus vt Hiſpaniam ingrederetur debuit ingredi, vel per Prouinciam Tarraconenſem, vel per Bęticam, vel per Luſitaniam, vel per Callęciam; in quas Prouincias tota diuiſa eſt Hiſpania. Per nullam earum ingreſſus eſt, ergo in Hiſpaniam non eſt ingreſſus. Maior eſt certa. Minorem certam ipſimet Hiſpani impugnando ſe mutuò fecerunt. Conſequentia eſt neceſſaria.

Argumētum ex ea negandi aduentum formatur.

CA-

CAPVT IV.

Ex antiquitate, & primatu Eccleſiæ Toletanæ oſtenditur Sanctum Iacobum Apoſtolum in Hiſpania non fuiſſe.

HOC erat præcipuum Aduerſariorum argumentum, quod Herculis clauam appellare poſſis: manu præſertim Ximenii olim in *Lateranenſi* Concilio vibratam, & in capita Præſulum competitorum deiectam. Nam hac ille potiſſimum ratione nixum Compoſtellanum antiquitatem ſuæ ob aduentum Iacobi Eccleſiæ aſſerẽtem repreſſit, aſſerens Toletanam antiquiorem eſſe, & *principatum in Hiſpania* obtinere, quod ab Eugenio primo illius Apoſtolo inſtituta, & fundata fuiſſet excluſo prorſus Iacobo, quem nullum in Hiſpaniam veniſſe affirmauit. ***Antiquior***, inquit, ***eſt Eccleſia Toletana, quæ fundata eſt à tempore Eugenij, qui Pauli Apoſtoli fuit diſcipulus.*** Hunc igitur primum conuerſionis, & fidei, & Hierarchiæ Hiſpaniæ ducem, & auctorem facit, ac negat alium quenquam prius eo in Hiſpania prædicaſſe, aut Eccleſiam inſtituiſſe. nominatim Iacobo excluſo, quod ſciret, ſi is veniſſet in Hiſpaniam non potuiſſe Toletanam Eccleſiam, quæ multos poſt annos in Eugenio inceperat, primatum obtinere. Sanè ſi primæ Toletanæ ſedi ſunt dandæ, quod conſtare videtur, & tot Pontificum diplomata teſtantur, neceſſe prorſus eſt tollere aduentum Iacobi. Nam ſi is

Quomodò eo vſus in Lateranenſi Concilio Ximenius.

Eugen. Pauli diſcipulus primus Ximenio authore in Hiſpania prædicauit.

is venit in Hiſpaniã Toletum certè non peruenit, atque adeo ibi ſedem non habuit, nec conſtituit, quod ſi venit, alias prius inſtituit, erexitque Eccleſias, cum Toletum Mediterranea vrbs ſit, quò niſi magna Hiſpaniæ parte peragrata perueniri nequit. Igitur ne Toletanæ Eccleſiæ ius conuellatur, aſſerendum omnino eſt cum Ximenio, eum Diui Iacobi aduentum verum non fuiſſe. Et quidem is cum acutus eſſet, & doctus vidit, niſi hoc negaret, cauſam ſuam aduerſus alios quatuor Præſules Aduerſarios non poſſe ſuſtinere. Cum enim illi à Iacobo ſuas eſſe inſtitutas Eccleſias affirmarent, ac ex eo ſequeretur ab eo prærogatiuam antiquitatis, & dignitatis accepiſſe, niſi refelleretur negato illius aduentu Eccleſiæ Toletanæ primatus, qui & antiquitate, & dignitate nititur, ſtare non poterat. Conſtabat quippe ſedis Toletanæ Eugenium multò poſt Iacobum Apoſtolum, ſiue à Diuo Petro, vti

Loayſa Mariana

Loayſa, Roma, ſiue à Diuo Dionyſio, Lutetia Pariſiorum, vti ex traditione Mariana l. 4. c. 4. affirmat miſſum, primum auctorem, antiſtitemque fuiſſe. Qua de re latiſſime Loayſa in notis ad decretum Gundemari in Toletano Concilio Aera 548.

Concilium Toletanum Rege Gundemaro.

anno Chriſti 610 Bonifacio Papa IV. tom. 2. p. 2. Collectionis Binianę. Do aliquos in teſtimonium locos. *Qui accuratius*, inquit, *Eccleſiæ Toletanæ primatum proſecuti ſunt Romæ à Diuo Petro Apoſtolorum Principe, totiuſque Eccleſiæ Catholicæ Pontifice, ſummoque Sacerdote inſti tutum ortumque affirmãt. Nam cum primum Petrus in Vrbem venit, ibique cæleſtis vitæ ſemina fundamentaque iecit, Dionyſium in Galliam, Eugenium in Hiſpaniam miſit, viros doctrina, & ſapientia excellentes, qui Paulum ex Gre-*

Loayſa

S. Eugenius, S. Dionyſii comes fuit.

cia fuerant ſecuti, eoſque Primates in prima Prouinciarum diuiſione conſtituit, vt facilius, & ardentius muneri Apoſtolico incumberent. Et Paulo poſt. *Eugenius igitur vt in Hiſpaniam venit, elegit primam, & præclaram eius regionis vrbem, in qua cultũ* Re*ligionis Chriſtianæ collocaret in medio totius Prouinciæ ſitam, à qua velut à corde ſpiritu, &c.* Et infra. *Hic ſanctus vir verè homo Dei primus Eccleſiæ Toletanæ Præſul fuit, totiuſque Hiſpaniæ Primas.* Et poſtea. *Eugenio vita functo ſacerdotij dignitas in Melanthium deriuatur. Et inde perpetua quadam Præſulum ſucceſſio ſtirpem Primatus in milleſimum quingenteſimum, & nonageſimum annum produxit, hoc ordine, &c.* Vt igitur hæc veritas Toletani Principatus Eccleſiaſtici ſuſtineatur, neceſſarium prorſus videtur, negare Sanctum Iacobum Hiſpaniam acceſſiſſe; quemadmodum D. Rodericum Ximenium negaſſe comperimus.

Primus Eccleſiæ Toletanæ Epiſcopus.

CAPVT V.

Authoris ſententia ſtatuitur, Affirmans Sanctum Iacobum in Hiſpaniam veniſſe.

CERTVM omnino, & indubitatum eſſe volo aduentum in Hiſpaniam Sancti Iacobi Apoſtoli argumento inuicto, & inuincibili Traditionis, quæ nullis aut artibus eludi, aut machinis expugnari, aut argumentis refelli poteſt. Hæc ſatis eſt ad rem probandam; nec oportet alia præſidia, vel ſcripturarum, vel librorum, vel ra-

Traditionis quãta ſit vis? quãta authoritas?

rationum inquirere. Nemo deſiderabit amplius, dummodo non ignoret quid ſit traditio: Qui dubitabit, ei reſponſum ex Oraculo Dauidico pſal.
Pſal 45. 45. dabo. *Deus auribus noſtris audiuimus. Patres noſtri annuntiauerunt nobis.* Et pſal. 77. *Quanta*
Pſalm. 77. *mandauit Patribus noſtris nota facere ea filijs ſuis, vt cognoſcat generatio altera. Filij qui naſcentur, & exurgent, & narrabunt filiis ſuis.* Et Deut. 32. *Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas; interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Hoc ab initio Euangelicæ prædicationis maiores noſtri cum Fide Catholica acceperunt, & ad Auos noſtros tranſmiſerunt, per quorum ad nos, qui nunc viuimus, manus peruenit, & à nobis ad poſteros vſque ad mūdi finem tranſibit. Hoc in pannis, & crepundijs à nutricibus cum lacte haurimus, hoc in cunis ab ancillis cantillantibus audimus; hoc in ſcholis cum primis elementis diſcimus, imò cum ipſamet natura Hiſpanica tanquam ingenitum è maternis viſceribus in lucem afferimus. Potentior eſt hæc traditio, quàm omnia librorum monumenta. De hac nemo dubitare poſſit, niſi qui Catholicos in Hiſpania eſſe inficietur. At eſt muta traditio. Muta ſine libris, & pennis volat cum Fama, eamque vincit. Saxa cum ſint muta, magis clamant ſæpe, quam linguæ. Nec tamen deſunt pennæ, & linguę in Breuiarijs antiquiſſimis, quæ quo magis exeſa, & iniuria temporis conſumpta, eo maiori iure clamant: nec ſolius Hiſpanicæ linguæ, ſed Arabicæ item Breuiaria idem affirmant. Nec id præſidio Traditioni eſt, ſed traditio ijs eſt venerationi. Veritas quippe traditioni nixa Religioni proxima cul-

Veniſſe Iacobum in Hiſpaniam traditio eſt.

Traditio, vel muta loquitur.

cultum inducit. Sanè ſi quis vltra traditionem ſcripta deſiderat, hæretico more agit. Solent enim hi omnia Scripturis metiri, & Traditiones irridere. Cum tamen Scripturæ traditiones commendent, & ſeruari iubeant. Hinc illa vox Maximini apud Auguſtinum lib. 1. cont. eundem cap. 1. *Si quid de Diuinis ſcripturis protuleris, quod commune eſt cum omnibus, neceſſe eſt, vt audiamus. Hæ verò voces, quæ extra ſcripturam nullæ ſunt, nullo caſu à nobis ſuſcipiuntur.* Hinc alia Pelagij lib. de nat. & grat. cap. 39. *Credamus igitur, quod legimus, & quod non legimus neſas credamus aſtruere, quod de cunctis etiam dixiſſe ſufficiat.* Sed eum ibi caſtigat Auguſtinus. Si multa de Diuina fide ſola traditione commendantur, & creduntur, cur non alia traditione nixa fidem, & auctoritatem idoneam habebũt? Suadeo incredulis doctrina Pauli ad Theſſalonicenſes 2. *Fratres ſtate, & tenete Traditiones, quas didiciſtis.* Vbi Chryſoſtomus. *Hinc patet, quod non omnia per Epiſtolam tradiderit, ſed multa etiam ſine litteris. Eadem vero fide digna ſunt, tam iſta, quam illa.* Et Epifan. hær. 61. *Oportet ergo Traditione uti, non enim omnia à Diuina ſcriptura poſſunt accipi. Quapropter aliqua in ſcriptis, aliqua in traditione Sancti Apoſtoli tradiderunt.* Fortè hi duo minus quod Græci ſunt audiuntur. Idcirco aduoco Tertullianum in libro de Corona militis cap. 4. *Harum, & aliarum eiuſmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam inuenies. Traditio tibi prætenditur auctrix; Conſuetudo confirmatrix, & Fides obſeruatrix.*

Auguſt.

Hæretici traditionibus obſiſtunt.

Theſſalon. 2.

Chryſoſt.

Doctrina Patrum de traditionibus.

Epiph.

Tertull.

Quare magna eſt in traditione vis ad perſuadẽdum; & quidem maior omni eloquentia. Tradi-

Breuiaria probant Traditionem.

tio autem iſta, iam non experientia ſolum humana, ſed ſacra etiam, & Canonica, ac tantùm non Diuina, authoritate nititur. Cuiuſmodi ſunt, quę in Breuiarijs traduntur, & toti Eccleſiæ proponuntur recitanda: nec enim de Fide ſunt, ſed ſunt tamē irrefragabilis auctoritatis. Igitur vel in eo Breuiario, quo aduerſarij conantur hanc veritatem infirmare, quod iuſſu Clementis VIII. recognitum, & emendatum fuit, & affirmatio hiſtorica in narrationem conuerſa, de traditione nihil eſt detractum, quæ cum integra manſerit, perinde fuit, ac ſi nihil de Fide aduentus in Hiſpaniam detraheretur. Etenim in Officio Iacobi in ſecūda ſecūdi nocturni lectione traditio hęc diſertis verbis ponitur. nempe *Prouinciæ Hiſpaniæ Eccleſiarum traditionem eſſe Iacobum Hiſpaniam adiiſſe, & ibi aliquos ad fidem conuertiſſe.* Quo fit vt traditionem eſſe iſtam negari nequeat. Hoc autem nullum maius eſſe poteſt de aduentu in Hiſpaniam Iacobi argumentum. Quod in hoc ipſum exemplo recogniti, & correcti Breuiarij in Aduerſarios retorto patet. Nam Vrbanus Papa item VIII. in accuratiſſima illa ſua recognitione, & caſtigatione, quod erat ex affirmatione in traditionem translatum iterum reſtituit, & expuncta traditione affirmationem repoſuit, ſic enim hodie legitur. *Mox in Hiſpaniam profectus ibi aliquos ad fidem conuertit,* quo ſignificauit non multum intereſſe, vtrum ea eſſet traditio, an affirmatio; ſatis quippe conſtare, quod communi populorum, ad quos id attinebat, conſenſu, ſtabilitum erat, videbatur. Itaque non illa fuit aſſertæ rei infirmatio, ſed eiuſdem alio dicendi modo affirmatio. Si enim diuerſa, atque contraria ijs mutatio-

Breuiarum Romanum.

nibus

nibus verborum ſententia afferetur non vnus alteri Pontifex refragari vellet.

Oppugnent Aduerſarij quantis, & quibus modis velint hanc ſententiam, ipſa ſe ſatis vna Traditione defendit, quod ſummi vir ingenij, & iudicij P. Franciſcus Suarez, noſtræ ætatis inſignis Theologus, his grauiſſimis verbis tom.1.de Relig. lib.2. cap.9.dixit. *Quamuis hoc tempore nonnulli tentauerint hunc Iacobi in Hiſpaniam aduentum, in dubium reuocare nullo modo poſſunt antiquiſſimæ Traditioni reſiſtere, nec aliquid proponere, quod probabilem rationem habeat.* Idem elegans, & doctus eiuſdem gentis, & Inſtituti Hiſtoricus P.Petrus de Ribaneyra in vita Sancti Iacobi teſtatur, cum inductis eorum, qui negant, aut in dubium vocant illius aduẽtum in Hiſpaniam, argumẽtis ait. *Plus eſſe ponderis in hac vna Traditione, quã in omnibus, quæ contra opponi poſſunt, argumẽtis.* Ac ea obturat ora contra ſentientium: Quod nos hic etiam agimus.

Suarez

Ribadeneyra

Verum quanta ſit vis Traditionis eo maximè apparet, quod eam negare non eſt auſus Rodericus Ximenius, quanquam viſus ſit velle infirmare cum dixit. *Memini benè in primis annis accepiſſe à quibuſdam Sanctis Monialibus, & Religioſis Viduis paucos admodum eius prædicatione eſſe conuerſos; in qua cum tam exiguos progreſſus effici videret in Patriam reuerſus fato functus eſt.* Non dubito quo erat ille acumine, voluiſſe eleuare fidem traditionis reducendo illam ad ſola teſtimonia fœminarum præſertim piarum, quaſi his facilius imponi poſſet. Sed nihil ſanè conſecutus eſt; nam aſſeruit Traditionem, atque in ijs maximè perſonis, quæ illas integrè, & incorruptè cuſtodiunt. Eiuſmodi ſunt

Ximenius

Ipſemet Ximenius non audet traditionem inficiari.

ſunt fœminæ, præſertim Religioſæ, ac ſemotæ à turba, & tumultu, quæ ſemel accepta fideliter retinent, & conſeruant. Quod autem ipſe cum eſſet puer illud audiuit, traditionem iuuat, nam & pueri, & puellę ab innocentiam, eorum, quę audiunt, fideles cuſtodes ſunt. Et quod non ſunt capaces alterius diſciplinæ, traditionibus imbuuntur. Puto autem Ximenium tunc traditioni credidiſſe, quam poſtea negauit. Cui ego, ſi Compoſtellanus eſſem, in medio diſputandi ardore iſta obijcienti aptè opinor, & falsè more ſuo conuerſus ad Papam, & Cardinales reſpondiſſem, *Melius illi erat, ſi non adoleuiſſet puer ille.* Crederet enim traditiones ſuas, nec eas ambitionis ſtudio euertere conaretur. Eandem Traditionem omnes alij in eodem Concilio Metropolitani confirmarunt. Vnde enim eis ille in ſuo Principatu aſſerendo, & tuendo ardor, niſi ex ea, quam acceperant à maioribus ſuis Traditione, qua vna nixi Toletano homini doctiſſimo, & gratioſiſſimo, & opulentiſſimo, ac Regiæ Ciuitatis Epiſcopo ſe opponere, ac præponere auſi ſunt?

Fœminæ, & Pueri traditiones incorruptius ſeruant.

Ximenius acutè pungitur.

CAPVT VI.

Ex translatione Corporis Sancti Iacobi Apoſtoli è Iudæa in Hiſpaniam eius viui in eam aduentus probatur.

ET hæc Traditio eſt. Narrant hanc de inuento corpore Apoſtoli poſt multa ſæcula Compoſtellæ anno 800. apud Marianam, 816. apud Baronium, *ſcriptores, qui res Hiſpaniarum ſunt proſecuti* Excipe tamen Rodericum Ximenium, qui in ſua de rebus Hiſpaniæ Hiſtoria, cum multa de Alfonſo Caſto Rege commemoret, ne verbum quidem hac de re fecit; quo apparet quam male in aduentu Sancti Iacobi in Hiſpaniam *fuerit animatus, cum tam illuſtrem* Hiſtoriæ partem omiſerit. Narrat eam imprimis homo veritatis ſtudioſus Mariana lib. 7. cap. 10. & Loayſa in notis ad decretum Gundemari tom. 2. p. 2. Conciliorum aud Binium. Locum ſepulturæ dumetis, & vepribus obſitum iniuria hominum altiori obliuione ſepelierat. Sed lux è Cœlo micans aperuit Theodomiro Præſuli; nec ſemel, nec ab eo ſolo viſa, monuit de abſcondito theſauro. Re ad Alfonſum delata, mirum quàm ille ſit lætatus. Eius imperio Corpus ex eo, in quo neglectum iacuerat loco, in Templum ibidem ædificatum honorificè delatum, & conditum. Legatio ea de re miſſa Rauennam ad Leonē P. & alia ad Carolum Magnum. Exinde omnium totius Orbis con-

Inuentionis, & tranſlationis corporis Sancti Iacobi Apoſtoli hiſtoria narratur.

Mariana

Loayſa

Corpus cæleſti luce illata proditur.

concurſu gentium celebrari, & coli cæptum. Luce id meridiana clarius eſt, adeo vt translatio corporis Sancti Iacobi Apoſtoli in ſacros Faſtos relata ſit, & dies 30. Decembris ei aſſignata. Hæc ſumma eſt. Illud argumentum.

Qua obſecro de cauſa Sancti Iacobi Diſcipuli ex Iudæa illius defuncti corpus (nam ab ijs deportatum ſcribunt omnes, & Loayſa fatetur) in Hiſpaniam detulerunt? niſi quod in ea prius cum eodem Apoſtolo fuerant, aut nouerant eum ibi fuiſſe. Certè non alia eſſe potuit; vti rem conſideranti patebit. Quomodo enim, aut cur ex tam diſſita regione, in extremam illam Hiſpaniæ, & mundi partem, quæ Finis Terræ à Nautis dicitur, corpus illud Apoſtoli, ſuſcepto ſtudio, per tantam duplicis maris vaſtitatem, emenſo Mediterraneo, & Oceano tranſportarent? nota illis erant illa littora, illi portus, imo & voluntas Apoſtoli perſpecta, vt eò corpus ſuum poſt mortem transferretur. Nec adhuc moror, quò illuc tempore delatum fuerit, nec enim multum ad cauſam facere arbitror, quod quis forte magni intereſſe exiſtimauit, eodemne quo paſſus eſt anno, quod affirmatur vulgo, an poſtea delatum fuerit? Dummodo enim ſit in Hiſpanias à Diſcipulis comportatum, integra manet vis argumenti, quæſtione temporis, quæ difficilior eſt præciſa; nolo quippe niſi certa, & explorata in argumentum aſſumere. Cum autem perſpectum omnino, ac exploratum ſit corpus Iacobi Apoſtoli in Hiſpaniam à Diſcipulis delatum fuiſſe, eo perſuadere volo, ideo delatum mortuum, quia ibi moratus fuerat viuus. Cui argumento nihil detrahit annus, quo eum Diſcipuli detulerunt.

Cur à diſcipulis in Hiſpaniam delatum?

Innotuerat ijs Hiſpania.

Referũt mortuum vbi viuus fuerat.

Fuiſſe

Fuiſſe autem qui exportarunt Diſcipulos tradunt omnes, qui de illa Translatione ſcripſerunt, & Baronius, & Spondanus; & Biſciola, & Garcias Loayſa fatentur.. Ex quibus hic. *Corpus à Diſcipulis nauigio impoſitum ab Ioppe ſoluentibus in Hiſpaniam appulit* 8. *Kal. Auguſti, quo die præcipuum eius feſtum ab Eccleſia colitur, & in Ciuitate Iria ſitum, demum Compoſtellam translatum* 3. *Kal. Ianuarij, quo die in tota Hiſpania translatio eius celebris eſt.* Si quid autem iuuet, nec enim id negem, cauſam noſtram, quod eodemmet anno, quo mortuus eſt, eius ſit corporis facta translatio, conſtat id ex Epiſt. Leonis III. in qua aſſeritur tunc facta eſſe; nec id Baronius, Spondanusue inficiantur; & conſentaneum rationi videtur, cùm ſemel accepto corpore æquum eſſet, vt ſtatim transferretur. Et quidem mos erat, vt Diſcipuli Magiſtrorum corpora ſepelienda curarent, vti de corpore Ioannis Baptiſtæ ſepulto à Diſcipulis apud Marcum habemus. Idque exemplo Chriſti corporis à Ioſepho, & Nicodemo curati, & tumulati clarius edocemur. Igitur quod eodem anno Iacobi noſtri corpus in Hiſpaniam ſit translatum, confirmatur maximè eius viui in eandem aduentus, quaſi vellent Diſcipuli illud vnde receñs ad patiendum venerat, reportare. Imo, ſi coniectura vti licèt, fortè Iacobus citius iugulatus eſt, quòd maius ſibi Iudæorum odium concitauit, quod primus ad exteras Gentes profectus fuerit, iiſque Euangelium prædicauerit. De quo poſtea redibit ſermo. Illud hic animaduerto, non fuiſſe auſum Ximenium ſepulturam Iacobi Apoſtoli apud Iriam Flauiam, & translationem inde Compoſtellam nega-

Leo III. Quo tempore in Hiſpaniam corpus comportatũ.

Diſcipuli curare ſoliti corpora Magiſtrorum.

Coniectura probabilis, cur Iacobus primus Apoſtolorũ obierit.

re; quòd erat ingens contra eundem aduentum viui inficiantem argumentum: ſi eo æmuli vel aut ſcirent, aut vellent. Cur tam ſe timidè, & remiſsè egerint, ſuo loco dicemus.

CAPVT VII.

Hiſpanorum in S. Iacobum Apoſtolum Clientela, & eiuſdem in eos Patrocinium aduentui in Hiſpaniam ſuo teſtimonium idoneum reddunt.

QVI Clientum, & Patronorum cauſas & iura norit, ei demum Sanctum Iacobum veniſſe in Hiſpaniam perſpectum erit. Ecquis enim Populus ſe in alicuius Ducis, Principiſue clientelam dedit, quæ non prius cũ vidiſſet ſuæ Prouinciæ, vrbiue præfectum? Id Hiſtorias Romanorum legenti conſtabit; & quidem ratio perſuadet, vt nonniſi ei quem probè noueris, te commendes. Quare ij qui Patrocinium aliquarum Gentium ſuſceperunt, earum Prouincias peragrarant, eaſque vel armis domuerant, vel beneficijs deuinxerant. Cuiuſmodi legimus fuiſſe Marcellos, Fabios, Metellos, Scipiones, à quibus deuictæ gentes in clientelam ſunt acceptæ.

Populi ſæpe in Romanorum Ducum clientelã venerunt.

Hoc nomine Hiſpaniarum populi ſeſe Iacobi clientes profeſſi ſunt, iſque ſe Patronum eorum præbuit; nec enim alia ratio tum clientelæ, tum

Pa-

Patrocinij eſſe potuit. Vnde quæſo tanta Religio, tot obſequia, tot officia Hiſpanorum erga Iacobum, tam præſens huiuſce tutela, tam certum patrocinium Iacobi erga Hiſpanos, niſi ex iſta huius inter eos habitatione, & prædicatione, ac doctrina? Cur non alium ex Martyribus, vel ſuis Gentilibus, vel vicinis adſciuerunt? Vnde noſſe poterant Iacobum? ſi Hiſpanias non luſtraſſet, ſi earum populos non erudijſſet. Certè nullum ex omnibus minus noſſe debuerant, ſi ille è Iudæa non exijſſet. Vixit ille parũ. Si intra illas anguſtias in quibus vixit, mortuus eſſet, ecquis eum tandem agnoſceret; aut ſi noſſet, qua ratione eum alijs prætuliſſet? Aequius ſanè erat, vel Petrum, vel Paulum, vel Bartholomæum, vel Matthæum, vel Andream, vel Ioannem, qui non multum receſſerunt, Patronum eligire. Iniuriam facerent Hiſpani Petro, & Paulo Apoſtolorum Principibus; *quorum Petrus authore Methraphaſte*, & alijs in Hiſpaniam venit; aut ſi quod iudico verius, non venit, cò ſaltem miſit Epiſcopos, vti ſupra ex Innocentio diximus Epiſtola ad Decentium. Paulus vero aut Hiſpanias adijt, teſtè Mariana, qui magnis id authoribus infra producendos confirmat; aut ſi minus id probatur, optauit ſanè, decreuitque adire, vti in Epiſtola ad Romanos apertè monſtratur. Igitur iuſtiſſima cauſa interuenire debuit, quæ Hiſpanos compulit ad Iacobum *ijs* anteferendum; quæ iuſta eſſe non potuit niſi hæc, quæ in eius aduentu nititur. Eum ſanè Hiſpani tanquam Patrem diligunt, quaſi Magiſtrum colunt, quaſi Paſtorem ſequuntur, quaſi Dominum venerantur. Eo duce aduerſus hoſtes, & Patrono vtuntur; præſens eius numen

Iacobus Patronus Hiſpaniæ.

Cur Hiſpani non Petrum aut Paulum Patronos elegerunt?

men implorant, eiuſque nomine, quaſi teſſera, ſe milites eius eſſe profitentur. Cum pugnam ineunt, vt ſibi animos ſumant, & hoſtes exaniment, in prima quæ vehementior eſſe ſolet, impreſſione illam vocem intonant. *Sancte Iacobe: Vrge Hiſpania.Santiago,cierra Eſpaña*. Vnde hæc tanta in Apoſtolo fidentia, tanta ſpes, tantus ardor, niſi ex inſito in eum amore, & ingenita pietate? Itaque militari ſe illi Sacramento addicunt, & ordine illius nomini dedicato Religiosè eius ſe obſequio adſtringunt; vt nullius erga quenquam alium Sanctum Patronum gentis, clariora extent, quam Hiſpanicæ erga Iacobum Amoris, & Religionis indicia.

Hiſpani Iacobi auſpicijs bellant, & opem inuocant.

Iam vero quam bene huic amori, & cultui reſpondet Iacobus! Cura, & ſollicitudine Patris, Ducis, Paſtoris, Patroni, vt nullo ſe modo vinci à Clientibus patiatur. Eos domi cuſtodit, foris defendit, propulſat mala domeſtica, externa bella auertit, & cum bellandum eſt opitulatur, & in aciem prodit, & cum hoſte manum conſerit, eumque profligat. Nec incognitus, aut obſcurus pugnat, conſpicuus apparet, & lucet, rutilatque in armis, & ab hoſtibus noſcitur, ceu amet cognoſci, & videri, quòd glorioſum ſibi fore ducat inter Hiſpanos,& pro Hiſpanis dimicare. Quoties illũ,& Mauri in Hiſpania,& aliȩ barbaræ Gentes in remotiſſimis regionibus viderunt equo feroci, ac pernici vectum, galeatum, & thoracatum, nunc haſta intenta, nunc euaginato gladio in ſe irruere, & voce tonare, ferro fulgurare, vulnere fulminare, & totam aciem impellere, loco mouere, & diſſipare, ſeque *Boanergem*, ideſt *Filium Tonitrui*, repræ-

Iacobi erga Hiſpanos amor, & tutela.

Pugnare viſus pro Hiſpanis.

præſentare. Hoc ſæpe in vtriuſque Imperij tum Orientalis Luſitanorum, tum Occidentalis Hiſpanorum Indiæ accidiſſe, Indi ipſi victi, & profligati teſtati ſunt. Exempla non pauca, & illuſtria producunt Alan. Copus dial. 3. Ludou. Rom. Patra lib. 6. Suar. nauig. Petrus Maffæius Hiſt. Indic. lib. 4. Anton. à S. Rom. lib. 1. cap. vlt. & lib. 3. cap. 23. Freitas de Imper. Aſiat. cap. 18. Solorzano Pereira lib. 2. cap. 4. E tot euentibus vnum in Caſtellæ, alterum in Luſitaniæ Regno commemorare volo; vnum in obſidione, alterum in acie, vtrumque memorabilem. Primum ex Mariana tranſcribam. Is eſt autem de mirabili ad Clauigium victoria, qua & hoſtes deleti, & Hiſpania ab infami iuxtà, ac miſerabili centum Virginum tributo quotannis Mauris pendi ſolito liberata. *Ramiro Regi dormienti Iacobi Apoſtoli ſpecies obiecta, auguſtior quam pro humano habitu bono animo eſſe iubet, de victoria nihil dubitare, numinis ope, quam certò affuturam proxima luce ſperaret. Rex ad has Iacobi voces excitatus, lætuſque nuntio, cum ex ſtratis ſe corripuiſſet Præſules, & Magnates ad ſe vocari iubet, &c. Hæc vbi dixit aciem inſtrui, & ſigna canere iubet. Noſtri magna alacritate in hoſtes impreſſionem faciunt. D. Iacobi nomen magnis vocibus ingeminantes, quod ab hoc initio ſuſceptum in morem abijt, vt Hiſpanis ſit pro Teſſera Militari. Barbari noſtrorum audacia, quos victos eſſe putabant, commoti, & cælitus iniecta formidine perculſi noſtrorum impetum non tulerunt. Iacobus, vti erat Regi pollicitus, in equo candido niueum vexillum præferre viſus eſt, quod rubræ Crucis figura diſtinctum erat. Eius aſpectu noſtris vires auctæ, barbaris animi concidebant.*

Alan. Copus
Maffæius
Ant. à S. Rom.
Solorzanus

Eius rei exempla, & qui ea referant Scriptores.
Mariana
Deſcribitur ex Mariana.

Memorabilis ad Clauigium ope Iacobi parta victoria.

Famoſum illud de centum virginibus Mauris dandis pactũ reſciuditur.

bant. Facta fuga fuit, nec minor cades. Sexaginta millia Mauri perempti. Clauigium, quo loco pugnatum ſit hoc ipſo tempore, ſtrages paſſim effoſſæ indicant. Aſſertarum deinceps in libertatem Virginum non meminit Mariana, cum ante addictarum infami ſeruitio meminiſſet. Conſtat fœdus illud turpe, tum reſciſſum, liberatam eo iugo Hiſpaniam. Et à Virginibus illud periculum propulſatum, qui maximus victoriæ fructus fuit. Et hoc momenti accedit, quòd Diuus Iacobus pudicitiæ Hiſpanarum Virginum quaſi Patrocinij iure Aſſertor, & vindex eſſe debuit.

Collimbricēſis vrbis Iacobi auſpicijs, & auxilio expugnatio.

Eius vrbis elegans deſcriptio.

Alterum huiuſce tutelæ exemplum adducam ex Roderici Ximenij Hiſtoria lib.6. cap.11. vbi enarrat geſta Fernandi Regis, qui ad Luſitaniam occupandam expulſis Mauris animum adiecerat. Breui expugnatis Sena, Viſeo, & Lameco, ſic vocat, *Propoſuit*, inquit, *Coimbriam maiorem Ciuitatem cum Dei adiutorio expugnare*. Eſt ea vrbs in Corde Regni ſita, ceu illius cura, & amor: in edito, quòd pulcherrima ſit, & ſpectari cupiat, ſita, collibus modicè aſſugentibus quaſi corona, ſiue ad dignitatem Regiæ Vrbis, ſiue ad cuſtodiam cari pignoris circumdata, ad vſque ripam præter labentis Mondæ per decliues platearum ductus effuſa, ceu vitreum in eo ſpeculum quærat, vt ſe inſpiciat, Narciſſus vrbium, pari amoris euentu, nam quà propior eſt fluuio, aquis demerſa pænas amoris nimij luit. Ridentis anni oſculum dixeris. Nihil illo Cælo ſalubrius, nihil illo ſolo fertilius. Soles die melius nitent. Sydera nocte purius lucent. Aeris ſubtilitas iuuat, ne radij obtundantur. Eo indigenarum acuuntur ingenia. In-

tra Vrbem habitaſſe credas Venerem ob venuſtatem Vrbis. Circà, in collibus Dianam, in Pratis Floram; in Campis Cererem; in Oliuetis Mineruam; in vinetis Bacchum; in pomarijs Pomonam, & de primatu certare; quod certamen Cornucopia effuſo prodigè cornu dirimit, ac ſibi litem adiudicat. Oliuarum præterea ferax, ſacrum Mineruæ domicilium, & Athenas extra noctuas, intra Aquilas reddit ura. Nempe Academiam nobiliſſimam in vtero ferens, quam opportune ſuperiore ſeculo in lucem edidit, oleo perpetuo alendã. Addit venuſtatẽ Amnis, amore Vrbis in eius gremiũ ſe inſinuans, & margines omni arborum opacitate inumbrans, & florum varietate depingens adulari vult vrbi, vt propiùs ad amplexus veniat, & altiùs in ſinum penetret. Alueo currit argenteo, immixto quod ex ramentis morſu riparum eraſis, aurum colligit. Eo pretio Ciuitatem allicit, & pulcritudini adijcit opes. Interdum eam inundat, qua parte in valles ſubſidit; nempe ſuperbit hoſpitio, & extare tumidus vult, vt appareat; quòd ſi arenis abundat; ideo eſt, quod ſitire ſe, ac areſcere deſiderio charę Vrbis ſignificat; niſi ſi arenis caſtigat audax vadum, quod tantam vndarum molem collegerat ad eluuionem. Nullum quippe amnis tam citò tantam molem aquarum colligit, corriuãtibus eò ſe fontibus, & riuis, ambitione mixturæ. Ille ob ſtudium viſendæ Vrbis, ad quam properat, impingit vndas, quæ dum aliæ alijs potiundæ Vrbis cupidine agglomerantur, enormiter creſcunt, & Ciuitatem, quam amant, obruunt. Sed mox amnem pænitet facti, & breui decreſcit, imo & ad arenas penè redigitur, ceu pœnas Vrbi

Conimbricẽſis Vrbis deſcriptio.

Munda Fluuius.

bi

bi temeritatis det, ac præ pudore intra arenas conditur, & occultatur; ne compertus ſit criminis. Vix vllus alius longiori, ac pulcriori ponte iungitur fluuius, eſtque moræ pretium tranſeuntibus, ex aſpectu Vrbis, & Vadi, quod ſpectare vult, & ſpectari. Nec tam ille tranſit per arcus, quam triumphat: id ex tumore arguitur, quod ſæpe attingat fornices, & ruina gemituque domorum triumphum eum eſſe probet, niſi ſi ex amore Vrbis partem illius ſecum trahere conatur, & ſimilem ſui, ideſt fluentem, reddere. Munda is eſt, ab aquarum munditie tracto nomine, quibus nihil eſt purius, nihil ſplendidius. Arcana vadi patefacit nitore ingenito indoli incolarum congruo. Flexuoſis ſinubus labitur lentus, & ſui tenax, implicat ſe, cum explicari vult, & ſæpius ad ſe redit, quaſi reliquiſſe pœniteat, & liquidis ſe catenis vincit, ne ſe deſerat; nempe in aſtris fons eſt, dolet recedere, & petit mare, ceu repetat ſidera. Senſatum fluuium dixeris, quòd caput quærat. Ille demum alienigena veram ſpeciem Vrbis cepit, qui eius ſitu, proſpectu, venuſtate, amænitate, ſolo, Cœloque conſiderato dixit, ſe vidiſſe Ciuitatem vndique ridentem; & tamen demittit lacrymas in eam Cœlum, quòd pluuijs ſit obnoxia; atque adeo, Collimbria, ceu Collis imbrium, dicitur; dolente Cœlo non poſſe ſe oculos donare, & cor per oculos, proindeque amoris teſtes lacrymas mittit, ridente Vrbe nimios Cœli amores. Hanc Vrbem 7. Luſitaniæ Reges Patriam habuere. Vnus ex alijs Dionyſius. Academiam in ea inſtituit quam poſtea aliò trans latam Ioannes III. Rex eidem reſtituit. Regia quidem ampliſſima in Sapientiæ do-

Pons ampliſſimus, & pulcherrimus.

domicilium aſſignata. Eo vrbs illa tanquam turrito quodam diademate coronatur. Eæ ſuntAthenæ *Luſitanæ*.

Huiuſmodi Vrbis potiundæ deſiderio ardebat Fernandus. *Ergo*, inquit Ximenius, *ad petendum Cæleſte ſubſidium Eccleſiam Beati Iacobi viſitauit, & implorat, per triduum Diuina auxilio maieſtatis Beati Apoſtoli oraculis confortatus contra Coimbriam exercitum congregauit, vbi fixis tentorijs circumquaque machinas; & Caſtra lignea eleuauit. Sed quia Ciuitas fortitudine, & magnitudine præeminebat, obſidionem contigit diutius protelari.* Et paulo poſt, *verum Chriſtianis viriliter inſiſtentibus, & machinis vndique quaſſantibus auxilio Dei, & Beati Iacobi interuentu murus irrumpitur Ciuitatis. Quo viſo Arabes conſternati Ciuitatem, & opes Fernando Principi obtulerunt, pro vita tantummodo ſupplicantes, quod Regis clementia acceptauit, & die Dominica hora tertia inuicto Principi Ciuitatis dominium reddiderunt. Eo tempore fertur vir Græculus ex Hieroſolyma cauſa Peregrinationis ad Eccleſiam Sancti Iacobi veniſſe, qui in deuotione pernoctans audiuit indigenas enarrare, vt Militem, in Chriſtianorum prælijs apparere: ſed ipſe, licet deuotus Apoſtolo, prædicabat non militem, ſed piſcatorem; cumque in tali pertinacia permaneret, reuelatione Diuina meruit intueri equo ſplendore conſpicuo Apoſtolum præſentatum, & armorum inſignibus decoratum obſidentibus Coimbriam ſubuenire. Et Peregrinus, de quo diximus, viſionis huius certior factus, & dum horam captionis Coimbriæ in Eccleſia Apoſtoli publicè prædicauit, & ſicut ipſe prædixit, ſic poſtea rei veritas patefecit; & ſic remanſit Terra circa Mondaicum Fluuium*

Iacobi ope Collimbria expugnatur.

Conimbrica auſpiciis, & ductu Iacobi Apoſtoli capitur.

uium

uium Fidei Chriſtianâ acquiſita. Hæc Rodericus.

Quod autem, Militem, Iacobum appellauit pia illa gens, ſtudium erga Hiſpanos Iacobi oſtendit, qui non detrectat munus militiæ, & cum cæteris quaſi commilito ſub ſignis meret, & pugnat. Quare, vt ſcribit Mariana lib. 7. num. 13. tempore Ramiri Regis, cui in eo quod proximè deſcripſimus prælio militarem operam nauauit. *Additum præterea, vt hoſtium ſpolijs diuidundis lege in omne tempus lata, Iacobus Apoſtolus pro vno milite eſſet*. Rem miram: eò veniſſe Iacobum, vt inter gregarios milites cenſeretur. Verum amorem cultu compenſarunt Hiſpani, nam *vectigal eſſe*, ait idem Author, *cum & frumentũ nonnulli populi pendant*. Omitto templum eodem loco ab Rege Fernando ex manubijs hoſtium ædificatum, & mundo muliebri ab Regina Vrraca exornatum.

Mariana

Hiſpania S. Iacobo vectigalis.

Iam vero Hiſpana nobilitas Iacobo, tanquam Duci, militari ſtudio ſe addixit. Itaque votis ſe deuouerunt, & ordines inſtituerunt, quos Diui Iacobi nomine, & inſignibus decorarunt; quorum primus fuit Ramiro Rege, poſt illam victoriam apud Clauiginm comparatam, de quo præter Hiſtoricos Hiſpanos Petrus Gregor. Toloſanus in ſyntagm. iuris p. 2. l. 15. cap. 35. & Cherub. in Bullis Pontificijs à Ro. V. expeditis, & in compendio to. 2. in Gregor. 13. Qui ordo clariſſimus habetur, & toti Hiſpaniæ communis eſt, & in Luſitania item receptus, ac de Spatha extra Hiſpaniam, in Hiſpania Sancti Iacobi vulgò nominatur. Sunt præter iſtum, vnus militum Calatrauæ, alter Alcantaræ, qui in Luſitania Auiſienſis dicitur, qui omnes Iacobo dicati ſunt, ac eius nomine appel-

Petr. Gregor. Toloſanus. Cherubinus

Ordines Militares Hiſpaniæ D. Iacobo addicti.

lantur, quemadmodum obſeruat citatus Cherubinus varijs in locis Bullarum in Compendio, vbi refert Indulta, & priuilegia à Summis Pontificibus ijs ordinibus militaribus conceſſa. Quare omnis Hiſpana militia Diui Iacobi Militia nuncupatur.

Equidem puto, nec tot officijs, & obſequijs Iacobum Apoſtolum Hiſpanos eſſe proſecuturos, nec in eius clientelam tanta demiſſione, & ardore animi eſſe venturos, niſi ſuæ illum Gentis Magiſtrum, & Patriæ Patrem agnoſcerent. Nec illum eos tam arctè eſſe amplexurum, & in gremium quaſi ſuum, ſinumque ſuſcepturum, niſi eos Chriſto Filios per Euangelium genuiſſet.

CAPVT VIII.

Hiſpanorum in retinenda Fide incorrupta religio: in tuenda conſtantia: in propaganda diligentia; argumento ſunt, eos à Iacobo Apoſtolo Euangelium accepiſſe.

PRIMVS *dicendi ardor nobilitas eſt Magiſtri:* rectè omnino dixit Ambroſius, quòd nobilitate Magiſtri accenduntur diſcipuli, ad ſpecimen ſuæ diſciplinæ præbendum, eiuſque exiſtimationem, & famam augendam. In D. Paulo fons, & ratio huius veritatis eſt, eo loco, vbi ad Timotheum ſcribit. *Sciens à quo didiceris.* Monet eum,

Ambroſius

Magiſterii, quanta ſit vis & authoritas. Timoth.

cum, vt ita ſe gerat, quemadmodum ille à quō doctrinam acceperat, cuius memoria ſtimulo foret, ad ſimilia documenta alijs, quos doceret, tradenda; ac hortatur ne quid à Magiſtro diuerſum doceat, imò ad eius, à quo didicit, imitationem ſe fingat. Itaque volebat Paulus, vt Timotheus magiſtro reſponderet: ac ei ſimillimus exiſteret. Ex diſcipulorum quippe doctrina, Magiſtrorum peritia æſtimanda.

Ex Hiſpanorum Fide, ac doctrina deducitur argumentum prędicationis S. Iacobi in Hiſpania.

Hoc argumento probare volo, Iacobum in Hiſpania prædicaſſe, quod talis, & tam excellens eorum doctrina fuerit, vt non potuerit ab alio niſi ab Apoſtolo Iacobo prouenire. Ac primùm: niſi is eos diſcipulos habuit, exiguos certè ſui ſanguinis fructus collegit. Primus ille Apoſtolorum pro Chriſto ſanguinem fudit, Anteſignanus aliorum; quantos inde prouentus Eccleſia ſperare debuit, cum Martyrum ſanguis, teſte Tertulliano *ſemen* ſit! Vnde ſegetes copioſæ pullulent, & meſſis vberrima exiſtat. Non igitur in illo vno Iudeæ angulo ille nobiliſſimi Martyris ſanguis iacuit, penè inglorius; ſed eò peruaſit, quà Hiſpania ſe tota

Fructus ſanguinis Iacobæi ad Hiſpanos rediit.

fundebat, eamque ita irrigauit; vt per vniuerſum Orbem cum eorum doctrina, & prædicatione ſpargeretur; nec tyronis ille ſanguis fuit, ſed veterani Ducis inter Hiſpanos exercitati, Eruditus victorijs, Maturus ad palmam, Idoneus ad Triumphum. Si ſanguis Stephani Paulum Apoſtolum

Sanguini Stephani conuerſio Pauli tribuenda.

peperit; cur non tanti ſanguis Apoſtoli alios Apoſtolos peperiſſet? nimis inferior eſſet hic illo, ſi intra Iudææ anguſtias contineretur, ac ea vita Iacobi nimis otioſa eſſet, ſi eos terminos non tranſiliret.

Sumus in re, quæ coniecturis nititur. Equidem

cum

cum mecum reputo, quàm citò Iacobus à Iudæis ſublatus fuerit, cur ille potiuſquam alius, ad cædem deſtinatus ſit, cauſam exiſtimo, odiũ Iudæorũ, quod vnus ille ex duodecim auſus fuerit Iudæa exire, ac Iudæis neglectis Gentilibus prædicare, extitiſſe. Cur enim in alios non ſæuitum? Cur ab eorum cæde abſtinuerunt? Cur alium Iacobum minorem tandiu ſuſtinuerunt, & Epiſcopum in media Hieroſolymorum tolerarunt? Niſi quia cęteri manſerant in Iudæa, & inter Iudæos verſabantur, eoſque docebant; Gentiles non vocabant; nec ad eos eatenus deflexerant. Nihil tam inuiſum, & deteſtabile Iudæis erat, quàm Ethnicorum gens: illos oderant, negligebant, abominabantur. Hinc odij item cauſa in Paulum, quòd gentium erat Apoſtolus. Hinc in Iacobum Apoſtolum ira, & indignatio, quem ſciebant in Hiſpaniam iſſe, & inde redijſſe cum Diſcipulis, quos conſtat habuiſſe, cum hi illius cadauer exceperint, & in Hiſpaniam, vti proximè diximus, retulerint. Hæc ſanè probabilis coniectura eſt. Ideo placuiſſe Iudæis cædem Iacobi. *Videns autem* inquit textus, *quia placeret Iudæis*. Placuit, ex odio quo illum inſectabantur: non tam quia Chriſtum prædicabat, hoc enim cum alijs erat commune, ſed quia Gentibus prædicauerat, & primus ad eos profectus fuerat.

Cauſa odii Iudæorum in Iacobum eius ad gẽtes profectio.

Actor. 12.

Hinc deduco: illum ſanguinẽ ab Apoſtolo profuſum, in Hiſpanias virtutem ſuam deriuaſſe, quod eos pertinuiſſet. Inde ardorem iniectum animis tuendæ Fidei, domi, & foris propagandæ. In quibus ſtudijs nulla magis natio excelluit. Quòd enim attinet ad cuſtodiam puræ, & incorruptæ

Hiſpanorum pura, & incorrupta Religio.

reli-

religionis. Nuſquam tu eam minus inquinatam hæreſum labe inueneris. Nam olim vix eam Arianiſmus infuſcauit, parùm Priſcillianiſmus infecit. Poſtea deterſa caligine in media fidei luce vixit. Iam verò à multis ſæculis Sanctæ Inquiſitionis officium ad cuſtodiendam Religionem natum, tota ſummo conſenſu animorum recepit Hiſpania, eoque tanquam arce munitiſſima erecta, Eccleſiam, & Fidem puram, & inuiolatam conſeruat. Hoc horrent, tremuntque Hæretici, & Iudæi. Si quid (nam homines ſumus) à quoquam delinquitur, non aut diſſimulanter prætcritur, aut remiſsè vendicatur. Singulæ Hiſpanorum Prouinciæ ſua in præcipuis ciuitatibus habent Tribunalia, ad quæ cauſæ Fidei reuocantur. Inijs diligenter examinantur, ſeriò recognoſcuntur. Rei acerbiſſimè puniuntur. Huiuſcemodi autem mala igni curantur, ne repullulaſcant. A quo hæc ſpiritu manant, niſi à Iacobæo tonante, ac fulminante? Eliano ſimili ignem è ſuperis in perfidos euocante? Nec vero ſolum peſtilentia Hęreſum libera Hiſpania, ſed etiam Schiſmatum propè immunis. Rarò id genus contagij in Hiſpania graſſatum, nam in ea Fides cum amore conſenſit. Ita Fides hæreſim, Amor Schiſma excluſit. Quin ex Hiſpania ad Indos Orientales, ad Occidentales, ad Aſiæ, Africæ, Americæque Imperia, ad Inſulas per Oceani, & Mediterranei maris vaſtitatem diffuſas, Religionis cēſores, vindiceſque mittuntur. Quo ſpiritu niſi Iacobi Filij Tonitrui, fulguris animati, quod ab Oriente paret vſque in Occidentem, & per vniuerſum terrarum vrbem euagatur.

Sacroſanctæ Inquiſitionis Tribunal. Fidei in Hiſpania vindex.

Hæreſis olim in Hiſpania rara, hodie nulla.

Aduerſus eā remedia.

Hæc ad tuendam Religionem præſidia in Hiſ-

pania, & Colonijs. Venio ad exempla. Quanta eſt in Hiſpania erga Superos pietas? Quanta erga Pontifices obſeruantia? Quæ diuinorum præceptorum cuſtodia? quæ Eccleſiaſticorum obſeruantia? Qui ſacrorum cultus? quæ in rem diuinam propenſio? quæ ſolemnitatum celebritas? quę templorum magnificentia? qui ornatus altarium? quæ pompa? quæ ſupellex? vt cùm in ſacram quamlibet ædem intraueris, in Paradiſum ingredi te putes. Tanta odorum flagrantia, tanta luminum copia, tanta inſtrumentorum varietas, tanta vocum harmonia, tantus ſacrorum apparatus, tantus ornatus ſplendorque Templorum? Quid? quòd in ſacroſanctum Euchariſtæ myſterium, & Sanctiſſimam Deiparam Virginem tanto amore, ac pietate Hiſpani feruntur, vt inter cæteros Chriſtianæ Reipublicæ populos eminere videantur? Ecquis verò in amplificanda, & propaganda Fide ſtudia poſſit oratione complecti? Neceſſe eſt totam Orbis vniuerſitatem animo comprehendere, & nullum prorſus angulum præterire, ac ea magnitudine, propagatam ab Hiſpanis Prædicatoribus Fidem metiri; qui exactè noſſe illuſtriores ſacras expeditiones velit (nam omnes infinitum eſſet recenſere) legat Bozium de ſignis Eccleſiæ tomo 1. lib. 4. cap. 2. & 3. Primi Luſitani noſtri inceperũt, & ſub Ioãne Rege Primo, in Mauruſiæ Africæ partem, expeditione contra Septam pręcipuam in ea Vrbem ſuſcepta, cum armis Religionem intulerunt. Deinde Principe Henrico auſpice, Ioannis filio. Alfonſo V. & Ioanne II. Regibus totam Africam, quæ ab Atlantico mari ad initia Indici tenditur, ideſt Congum, Benijnum, Guineam, ac cite-

Studium religionis, & pietatis apud Hiſpanos.

De propagãda per vniuerſum terrarum orbem Fide cura, & opera Hiſpanorum.

cite-

citeriores AEthiopiæ regiones Fides ijs ducibus peragrauit. Poſtea Rege Emanuele, & Ioanne III. ad Indiam citra, & vltra Gangem, ad Auream Cherſoneſſum, & Samatram, & Taprobanem, ad Molucas, vſque, & Lequios, tandem ad Sinas Iaponeſque eorundem opera penetrauit. Aperto deinde Nouo illo, quem appellant mundo, & America detecta, in immenſas illas regiones Hiſpani, Euangelij lucem intulerunt. Ea ingentes inſulas Sancti Dominici, Sancti Franciſci, Cubã, Iamaycam, Campecham, Philippinas: præterea vaſtiſſimas illas Mexicanas, Cuzcanas, Cinguitanas, Areguitanas, Paraguayanas, Tileanas, Nicaraguanas, & quæ in vaſtiſſimo Peruano regno continentur, regiones illuſtrarunt. Rurſum in eadem America per Braſiliæ, & Maragnonis ingentes Prouincias Luſitani Fidem catholicam longè lateque amplificarunt. Quo ſpiritu niſi Iacobæo? cuius ſanguis effuſus voce melius, quàm Abelis clamante, per ora prædicatorum illic vociferatus Euangelium prædicauit? An ab alio, quam ab Apoſtolo inſtituti, tot viri Apoſtolici in vaſtis illis, ac remotis regionibus doctrinam Fidei per tot inſidias, per tot arma, per tot cædes tradere potuiſſent? A quo alio niſi ab Apoſtolo Ioannes Albuquercius Franciſcanus, Alexius Meneſius Auguſtinianus Goenſes Archiepiſcopi? Michael Vaz, Didacus Borba Presbiteri? Turrianus, Gagus, Vilella in Iaponia, Sylueria in Monomotapa, Ouiedus in Aethiopia, Hieronymus Xauerius in Mogoribus, Barreria in Guinea, Anchieta in Braſilia Ieſuitæ? Bucil Catalanus Benedictus in Inſulis Americæ à Columbo repertis? In Mexico Marti-

Sacræ Luſitanorum expeditiones.

Sacræ aliorũ Hiſpanorum Prouinciæ.

Viri Apoſtolici, Hiſpani inſignes.

nus

nus Valentinus Franciſcanus. In Cuzco Ioannes Solanus Dominicanus, in Philippinis Martinus Herrada Auguſtinianus. In Papoiano Ioannes à valle Presbiter, in Chiguana Prouincia Sebaſtianus Mercenarius Redemptor, & inſtructi, & incitati Euangelium diſſeminarunt! Quanto fructu? id paucis, & à properante dici non poteſt. Vnum tamen & alterum argumentum eius afferã. Quod attinet ad Indias Occidentales in vno Mexicano Regno Caroli V. tempore baptizati ſunt quater decies centena hominum millia, quod ex regijs ſtabularijs conſtat: vbi etiam ſcribitur ab vno Sacerdote baptizato ſepties centena millia hominum fuiſſe, quemadmodum commemorat Barboſa de officio, & poteſt. Epiſcopi 2.p. titulo 3. cap. 2. num. 42. Ad Orientem quæ conuerſio fuit antiquior, & Luſitanorum propria, ſub vno Rege Ioanne Tertio maior adhuc fructuum vis collecta. Nec opus eſt probare pluribus ſacrorum illius temporis Heroum adductis exemplis. Vnus certè mihi ſatis eſt Apoſtolus ille Orientis Xauerius, ingens virtutis, ac Religionis miraculum, qui vel auditus admirationem in animis hominum excitat, cum ſenſu pietatis coniunctam, ad meam iſtam coniecturam firmandam. A quo enim Apoſtolicus illius, & ſpiritus, & doctrina niſi à tanti Apoſtoli exemplo, & ſchola duci potuit? aut cuius ille niſi Iacobi auſpicijs tot barbaras gentes ad Fidem Catholicam perduxit, quot non iam dico vnus, ſed ne multi quidem Hæreſiarchæ, auerterunt. Ebulliebat nempe in venis illius virtus ſanguinis, quem Iacobus Apoſtolus pro Chriſto primus effudit. De quo viro illud eſt apud Boſium lib. 6. de ſignis

Fructuum ex Hiſpanarum prędicatione collectorum exempla.

S. Franciſcus Xauerius elogium.

Eccleſiæ elogium. *Vniuerſi*, inquit, *Hæretici ab Eccleſia Chriſtiana conſtitutione per tot ſecula, per annos mille quingentos, & amplius haud traduxere ad hæreſes ſuas tot gentes, aut idololatras, aut alioquin à Chriſti cultu alienas, quot vnus Xauerius ad Cultum Chriſti annis vndecim. Hæretici peruerterunt ſemper Chriſtianos. At gentes à Chriſti cultu alienas nunquam perduxere ad illum. Quis itaque numeret, quot Hæreticorum millia in repræſtat vnus Xauerius? Vnus Xauerius plures gentes Chriſto adiunxit, quàm innumera inimicorum millia ex omni gente, & natione, è toto terrarum orbe per annos mille quingentos auerterunt. Quis hic non obſtupeſcat?*

Non potuerunt hæc ſtudia religioſa niſi à magiſtro Iacobo Apoſtolo proficiſci.

Hunc, & alios Fidei magiſtros, & Prædicatores non debuit alius inſtitutor, & doctor erudire, niſi Apoſtolus. Ea enim quæ præclara, maximaque in conuerſione Gentium hæreticorumque geſſerunt, non aliter geſſerunt niſi quod ardorem, & doctrinam ab illius fontibus hauſerunt, qui primus & ijs prædicauit Euangelium, & ſuo ſanguine confirmatum ad eos tranſmiſit. Ita docuerunt alios, vti *memores eius à quo didicerunt*. Nempe à Protomartyre Apoſtolorum. Claudo. Non ſolo verbo, ac exemplo doctrinam Fidei tradiderunt, ſed etiam ſanguine confirmarunt. Nullius, abſit inuidia verbo, nationis plures martyres reperies, quàm Hiſpanicæ, quod ei plures glorioſæ mortis occaſiones contigerunt, nec opus eſt enumerare cum varijs in monumentis ſcripti reperiantur. Id tantùm dico. Eorum ſanguinis riuos ad illud Iacobæi caput, & fontem ſanguinis referendos.

Id ex Martyrum copia, & conſtantia confirmatur.

CA-

CAPVT IX.

Nouum ex Actis Concilij Rhemenſis ſub Leone IX. Anno M.XLIX. celebrati pro D. Iacobi in Hiſpanias aduentu argumentum.

HOC à me primum, quod ſciam, repertum, & productum. Debeant mihi Hiſpani hoc ex Rhemenſi Concilio (quis crederet?) ad faciendam ſententiæ noſtræ fidem illuſtre opinor, & ſolidum teſtimonium. Coegerat Leo IX. Anno M. XLIX. Sanctiſſimus antea Bruno, è Tullenſi Epiſcopo Pontifex, frequens ex Vniuerſa penè Gallia adiectis non paucis è Germania, & Anglia, & Italia Patribus Rhemenſi in Vrbe Concilium. In quo de re Eccleſiaſtica, & morum diſciplina ſeriò, ac ſeuerè actum. Caput rerum fuit ſtatuere, *quòd ſolus Romanus Pontifex Vniuerſalis Eccleſiæ Primas eſſet, & Apoſtolicus*. Et Anathema dictum, *ei, qui alium quempiam, præter Romanæ Sedis Antiſtitem vniuerſalis Eccleſiæ Primatem eſſe aſſereret*. Poſtea variæ Epiſcoporum cauſæ agitatæ, ac definitæ ſunt, & nonnulli criminum, de quibus poſtulabantur, comperti iure damnati. Inter quos. *Excommunicatus eſt Sancti Iacobi Archiepiſcopus Gallicienſis, quia contra fas ſibi vendicaret culmen Apoſtolici nominis*. Hic locus rem prorſus continet. Nam hic S. Iacobi Archiepiſco-

Concil. Rhemenſis Acta, tom. 3. p. 2.

Solus Romanus Pontifex primas Vniuerſalis.

Archiepiſcopu Gallicienſis vſurpat nomen Apoſtolici Primatis.

piſcopus Gallicienſis haud dubie Compoſtellanus translata cum eo Irienſi ſede ante annos 200.erat, qui eo nomine ſibi arrogabat titulum, & locum Apoſtolici, quod cum Apoſtoli, ſedem obtineret, ideſt Iacobi, culmen Epiſcopatus ſibi obuenire credebat. Quod certè non auderet, niſi certò ſciret eam Eccleſiam à Sancto Iacobo eſſe erectam, & fundatam. Non probo arrogantiam, nec excuſo factum: ſed ex eo deduco occaſionem quæ illi eos animos faciebat: nec enim temerè tantum præſumere auſus eſſet. Obtentu illius in Hiſpaniam per Galliciam Iacobi aduentus, & in ea Prouincia primæ, vti opinabatur, ſedis conſtitutæ, culmen illud, & apicem dignitatis vendicabat. Hoc nobis in argumentum ſufficit ad confirmandam eius aduentus traditionem. Hanc eo facto aſſerimus, cætera condemnamus, nec enim admiſſo quod Iacobus in Galliciam veniſſet, & in ea ſuam Cathedram poſuiſſet, quod extra controuerſiam putabat ille Archiepiſcopus, ſequebatur in ſupremo eſſe faſtigio Apoſtolicæ dignitatis. Cum ei tantum ſedi conueniret, in qua Princeps Apoſtolorum Petrus ſediſſet: cui id iure Diuino congruebat, & cuius perſonam illa prærogatiua ſequebatur. Alioquin Epiſcopus Hieroſolymitanus, quod S.Iacobo Apoſtolo Fratri Domini ſucceſſiſſet, parem ſibi nomen, & locum arrogaret. Quare merito ille ſuæ temeritatis Anathemate perculſus pœnas dedit: nobis tamen illud ijs inuolutum documentum reliquit *Traditionis* & antiquiſſimæ, & teſtatiſſimæ. Nempe S.Iacobum, & in Hiſpaniam veniſſe, & in Gallicia Eccleſiam erexiſſe, ac ſedem Epiſcopalem collocaſſe.

Excommunicatur.

Prętextus fuit Cathedra, & Eccleſia Iacobi.

Huic

Huic argumento nouum robur additur illo Caroli Magni facto, quod refertur in libro Lupoldi Bebenbergij de veterum Principum Germanorum Zelo in Chriſtianam religionem, & Dei miniſtros, qui habetur tomo vlt. Bibliothecæ Patrum, vbi ſic cap. 11. *Idem Carolus Magnus ſub annum Domini 794. in Franckeſurt magnam Synodum Epiſcoporum Germanorum, & Gallorum, & Italorum (cui etiam affuerunt legati ſedis Apoſtolicæ) congregauit, vbi inter alia hæreſis cuiuſdam Epiſcopi Felicis, qui Chriſtum ſecundum quod eſt homo, adoptiuum Dei Filiũ eſſe dicebat, tertio eſt condemnata, vt in Francorum hiſtoria, & Chronico Euſebij plenius continetur. Idem etiam Carolus in Ciuitate Compoſtellana conſtituit Epiſcoporum Concilium, vbi amore B. Iacobi Apoſtoli inſtituit vt omnes Reges, & Præſules, ſeu Principes Chriſtiani Hiſpaniæ, ac Galliciæ, Epiſcopo Compoſtellanæ Eccleſiæ obedirent, vt vnuſquiſque poſſeſſor vnius domus totius Hiſpaniæ, & Galliciæ quatuor numos annuatim ex debito Eccleſiæ Compoſtellanæ ſolueret, vtque ab omni eſſent liberi ſeruitute, conſtituens vt virgæ Paſtorales, Epiſcopales, & Coronæ Regales per manus Compoſtellani Epiſcopi ad honorem Sancti Iacobi præbeantur. Prout hæc in ſpeculo hiſtor. lib. 25. cap. 17. latius continentur.* Certe rem tantam non inſtituiſſet, nec decreuiſſet Carolus, nec alij paterentur, niſi ea illo iure, quod ex aduentu S. Iacobi Apoſtoli de ſepulcro Compoſtellæ locato, eò ex Iria vrbe translata honoris prærogatiua extitit, niteretur. Hoc nomine prælatus eſt vniuerſæ Hiſpaniæ ſacris profaniſque Principibus Antiſtes Compoſtellanus, quem tanquam Iacobi Apoſtoli ſucceſſorem ſuſpiciebant. Neque

Confirmatio ſuperioris argumenti.

Ex edicto Caroli Magni.

Lupoldus Bubenbergius.

Tomo vlt. Bibliothecæ Patrum.

Compoſtellanus Antiſtes omnibus Hiſpaniarum præponitur.

Vectigal eius Eccleſiæ à reliqua Hiſpania penditur.

Inde coniectura fit ad offerendum aduentum S. Iacobi;

eleuari argumentis fides poterit occurrendo: id datum eſſe Corporis ſepulturæ: nam ea cauſa leuior eſt, quam pro pondere obedientiæ, ac ſeruitutis, quæ altiori ex principio ducebatur, nempe dignitatis ob doctrinam, & ſedẽ in ea Iacobi, cuius perſonam Præſul Compoſtellanus gerebat. Hinc illa poſtea Compoſtellani Epiſcopi ambitio, arrogandi ſibi nomen, & culmen Apoſtolici præſulis, quod ſolum erat Romani Pontificis, eoque iure ſummo ſpoliatus fuit Compoſtellanus, & ſi ſecus faciendo pergeret, anathematizandus. Cur autem eo argumento non fuerit obſtructum os Ximenio ſuo loco dicemus. Interim ſatis ſit, eo vti ad perſuadendum D. Iacobi in Hiſpaniam, quod nunc agimus, aduentum. At vt nequid omittamus quandoquidem author nos remiſit ad ſpeculum Hiſtoriarum, in eo reperitur S. Iacobum in Hiſpaniam veniſſe, illicque prædicaſſe, & diſcipulos habuiſſe, vt vbi vnum narratum inuenimus, alterum etiam relatum inueniamus, & vtriuſque nexum Aduentus, & Dignitatis, in eodem ſpeculo intueamur, & obſeruemus.

Speculum hiſtoriale illum adſtruit.

CA-

CAPVT X.

Argumenta propoſita quæ impugnabant Iacobi in Hiſpaniam aduentum ſoluuntur.

§. I. *Satisfit Primo ex difficultate Chronologiæ deſumpto.*

DILEMMA hoc erat Cornutum, *vel* inquit *venit in Hiſpaniam Iacobus ante diuiſionem Prouinciarum: vel poſtea:* neutrum eſſe poſſe monſtrabat, ergo non veniſſe inferebat. Cui trifariam reſpondeo: Primò non conſtare, quo tempore huiuſmodi diuiſio facta fuerit. Vnde enim id aſſumitur? non eſt in ſcripturis definitum tempus. Videmus paucos Apoſtolos nominari in Actis poſt Pentecoſtém. Imo quatuor tantum mentionem fieri videmus. Petri, Ioannis, vtriuſque Iacobi; de alijs ne verbum quidem. Vbi erant? Aut ſi erant Hieroſolymis, aut in Iudæa, cur nõ vti priores nominantur? ſi quis velit affirmare illos in ſuas iam Prouincias abijſſe. Vnde quęſo mendacij arguetur? Nec enim ſi Hieroſolymis eſſent, omitti eorum nomina debebant, quemadmodum ante omitti non ſolebant. Quod ſi verum eſt, quod Ximenius aſſeruit in Concilio Lateranenſi, diuiſæ ſunt Prouinciæ ante illius mortem, quod Aduerſarij inficiantur, vincimus. Ait quippe *legiſſe ſe datam ei fuiſſe poteſtatem prædicandi in Hiſpania*. Quæ ſi data fuit, viuo non mortuo data fuit. Igitur hoc, cui tantum tribuit Baro-

De tempore quo facta eſt Apoſtolorum in prouincias ſuas profectio non conſtat.

Ximenius quod ſentiat

ronius, authore in dubium reuocare poſſumus, quod ille ſtatuit, non niſi poſt Iacobi Apoſtoli cædem, factam eſſe Prouinciarum diuiſionem. Et quidem grauem habemus authorem, qui dicat generalem illam Apoſtolorum diuiſionem in illo primo poſtquam conuerſus eſt Paulus, ideſt multo ante necem Iacobi, anno accidiſſe. Is eſt Caietanus, quem fidenter, vel Baronio oppponamus.

De eo Caietani ſentẽtia.

Verum eſto: demus Baronio, quod vult, nonniſi Iacobo interfecto diuiſas fuiſſe Prouincias. An ex eo neceſſe eſt ſequi, illum non potuiſſe antea in Hiſpaniam venire? At non licet per ſacram Chronologiam. Licet: idque demonſtro, ſitque ſecundus diluendi argumenti modus. Potuit, vel ſtatim poſt lapidatum Stephanum, occaſione exorta ſubinde perſecutionis, vel poſt eam ſedatam multò ante mortem ſuam Hiſpaniam adire. Nam cum inter vtramque Stephani, & Iacobi cædem nouem ad minus anni interceſſerint, Stephanus quippe anno eodem, quo Chriſtus eſt paſſus, ideſt 34. Iacobus vero Anno 44. mortem oppetijt, ſatis apparet ſuperfluiſſe temporis, vt in Hiſpaniam venire potuerit.

Baronius nõniſi poſt necẽ Iacobi diuiſionem Prouinciarum factam vult.

At non potuit, aiunt, occaſione illius perſecutionis exire: cum ſacer Textus excipiat Apoſtolos, ait enim *Præter Apoſtolos* Do. quid inde? ſuperfluerunt octo integri anni, quo tempore fas fuit inuiolato textu exire. Iam ergo hic non obſtat aduentui. Potuit exire iam ſedata perſecutione: cum ſatis temporis ante mortem ſuam ſupereſſet: ſed nolo tam liberalis eſſe. Dico ſine vllà textus iniuria poſſe affirmari Iacobo in illa perſecutione in Hiſpaniam ſecedere licuiſſe. Patet; nam illa

par-

particula *Præter Apoſtolos*, non neceſſariò comprehendit omnes, ſed ſatis eſt, ſi ad maiorem partem referatur. Solet hoc in ſacris litteris fieri, in quibus ſæpe ſynecdoche fit, & ſyllepſis, quemadmodum Maldonatus Matth. 27. vbi componens illos Euangelij locos de latronibus cum Chriſto crucifixis, quos plurali numero Matthæus, & Marcus efferunt, cum tamen vnum Lucas fuiſſe diſertè ſcribat, ad ſynecdochen recurrit. Itaque mitius hic dicitur, *præter Apoſtolos*, non quod omnes ſignificentur, ſed plures ex Apoſtolis. Quod ſuadeo vicinæ particulæ ſenſu, *Omnes diſperſi ſunt.* ideſt Diſcipuli; vbi ly *Omnes* incertum, ait Lorinus, relinquit, *an omnino omnes, an ſoli antiquiores Diſcipuli?* Quod ſi particula expreſſa *omnes* non cogit de omnibus Diſcipulis rem intelligi: multo certe minus coget illa phraſis *Præter Apoſtolos*, quę non afficitur illo termino *Omnes*. Addo præterea in ſenſu multorum Patrum, locum eſſe negandi Omnes Apoſtolos manſiſſe, ac nullum in ea tunc perſecutione exijſſe. Nam multi Patres exiſtimant illum Philippum, qui cum cæteris Diſcipulis tunc ad prædicandum in Samariam ijt, & Eunuchum Candacis Reginæ baptizauit, Apoſtolum fuiſſe. Non probo ſententiam, ſed ea vtor ad ſuadendum, non intelligendum eum locum de omnibus vniuerſim Apoſtolis, cum aliqui Patres non eum ſic intellexerint: & affirmarint aliquem Apoſtolum exire potuiſſe, cuiuſmodi crediderunt fuiſſe Philippum. Cum vero hi Patres ita ſenſerint de Philippo, non erit cur timeamus idem dicere de Iacobo: nec enim illa particula *Præter Apoſtolos* omnes prorſus comprehendebat: cum in eorum Pa-

Maldonatus. Matth. 27.

Lorinus in Act.

Confirmatur ex prædicatione Philippi.

Qui Patres eum fuiſſe vnũ e x Apoſtolis cenſent? Hilar. Beda Magiſter hiſtor. Scholaſt. Albert. Mag.

trum ſententia vnus ex ijs Phillppus, quem credebant Apoſtolum, exijſſet. Sunt autem hi Patres Hilarius, & Beda Matth. 21. ex alijs Magiſter Hiſtoriæ ſcholaſticæ, & Albertus Magnus, & alij authores, quos tacito nomine citat Lorinus Actorum 8. Auguſtinus autem an fuerit Apoſtolus tractatu in Ioannem 6. dubium relinquit. Quod non relinqueret, ſi iſte id locus non ferret. Quare nihil obſtat quominus Sanctus Iacobus Apoſtolus in ea perſecutione cum Diſcipulis exire Iudæa, & quocunque terrarum vellet, ire potuiſſet. Quid? quod ipſemet Baronius in Martyrologio ſecutus priorem, quæ eſt noſtra, de aduentu Iacobi in Hiſpaniam ſententiam, ita exponit eum locum Actorum *Præter Apoſtolos*, id eſt *ex maiori parte*, quemadmodum proximè interpretati ſumus. Itaque nobiſcum ſentit, is qui nos eo nomine vult impugnare. Itaque ſemper ſequimur Baronium.

Lorinus Auguſtin.

Baronius

Baronius locum Actorum ſecundum noſtram ſententiam explicauit in Martyrologio.

At non eſt neceſſe ad has anguſtias redigi. Sedata illa perſecutione in tanto numero annorum licuit per ſacrã Chronologiam Iacobo in Hiſpaniam proficiſci, quemadmodum, ex ſupputatione Baronij apparet. Totum enim nouem annorum ſpatium inter Stephani, & Iacobi cædem, vti proximè diximus, interceſſit.

Tempus idoneum profectionis Iacobi in Hiſpaniam.

Si quis autem ex me ſcire deſiderat, qua occaſione, quo tempore Iacobus Iudæam reliquit, & Hiſpaniam petierit? dicam ingenuè. Exiſtimo probabile cum Lazaro,& Maria Magdalena, Martha, & ſocijs nauim conſcendiſſe (in quam ij omnes impoſiti, ſine velo, ac gubernaculo fluctibus, & ventis obnoxij, vt perirent) quæ cum Dei voluntate regeretur, emenſo vaſtiſſimo illo pelago

Occaſio opportuna.

Maſſiliam appulit; cumque ibi ſocios expoſuiſſet, qui ſatis erant ad Galliæ Maritimos illos populos inſtituendos, Iacobum in Hiſpaniam detuliſſe, vt in ea Euangelium prædicaret. Coniectura hæc eſt, ſed non opinor, reijcienda. Cui momentum addo ex alia. Anglicani Auctores narrant in eadem naui fuiſſe Ioſephum ab Arimathia, nobilem illum Decurionem, qui in Britaniam Euangelizandi cauſa nauigauit. Ita Hiſtoria Anglicana manuſcripta, quæ in Bibliotheca Vaticana aſſeruatur. Quemadmodum ergo Ioſephus abijt in Britanniam, potuit Iacobus petere Hiſpaniam: vel in eadem naui, vel poſtea in alia eò à Gallia ſoluente. Multò tamen certius eſt Iacobum in Hiſpaniam, quam Ioſephum in Angliam appuliſſe.

Magdalena cum Lazaro, & Martha appellit Maſſiliam. Ioſephus item ab Arimathia an ierit in Angliam?

Hiſtoria Anglicana.

Veniſſe cum Magdalena Iacobum mari in Galliam ducunt in Hiſpaniam coniectura.

Alia melior coniectura eſt. Quod in ea item naui fuit Maria Salome Iacobi Mater, quam fama eſt, authore Baronio, in notis ad Martyrologium die 25. *Iulij Diuo* Iacobo ſacro, in Italiam veniſſe, & apud Hernicos quieuiſſe; ſicuti produnt monumenta Eccleſiæ Verulanæ. Vbi corpus eius ſeruatur. Quod ſi verum eſt, multum iuuat meam ſententiam. Decuit enim, imò & oportuit Filium Iacobum matrem ſuam comitari, & ſolari, cum præſertim Ioanni non liceret, quod ad eum pertinebat Sanctiſſimæ Virginis cura, quam omittere non poterat, cum à Chriſto in Cruce illa ei fuiſſet commendata. Quare ne in hoc quidem Baronium deſerimus.

Mariam Salome matrem Iacobi tenuiſſe Italiam fama eſt.

Baronius.

Reſtat adhuc ingens ſpecie difficultas. Non licuiſſe Iacobo, nec vlli alij Apoſtolo, aut Diſcipulo Gentibus Euangelizare ante illam lintei viſionem, per quam aduerſarij volunt apertum

Obiectio ex viſione lintei & conuerſione Cornelij, antequam non licuiſſe gentibus euangelizare ex Baronio.

oſtium eſſe : ita vt Petrus auctor eius poteſtatis fuerit, & Cornelius primus è gentibus in Eccleſiam receptus. Quæ cum prædicatione Iacobi in Hiſpania ſtare nequeunt. Huic difficultati occurro primò, concedendo quod volunt, nempe ante illud tempus non licuiſſe cuiquam Gentibus prædicare: negando tamen inde ſequi, Iacobum non potuiſſe in Hiſpania prædicare, nimirum Iudæis ibi commorantibus: quod item Baronius concedit, imò & occupat, ne quis obijciat, quòd illum pupugerat. Sic enim in Martyrologio ait. *Hæc autem de acceſſu Iacobi in Hiſpanias non ſic accipias, vt illic prædicauerit gentibus Euangelium (nondum enim decreto Apoſtolorum illis fuerat oſtium reſeratum) ſed Iudæis tãtum ſuis non gentibus Chriſtum annunciauit*: qua ratione Baronius eam in noſtra ſententia ſoluit difficultatem. Secundò: negando quod tantopere inculcat Baronius, non licuiſſe ante illam viſionem Petri Gentiles ad Fidem Chriſti conuertere. Ac vt verum fatear, neſcio quì hoc tam ſibi perſuaſerit Baronius, & in oppoſitam ſententiam inuehatur: arguens eam erroris, quod etiam notat, miraturque Lorinus in acta cap. 6. verſu 27. Nam neque rationi, neque ſcripturæ illa opinio Baronij conformis eſt. Non rationi, quia mortuo Chriſto Synagoga expirauerat: & lex gratiæ nata fuerat, quæ gentes admittebat omnes: adeo vt ille Centurio, qui aderat morienti Chriſto, iam tunc Chriſtum noſſet, ac in eum crederet: nec decebat, vt Gentiles, dum illa viſio lintei fieret, excluderentur à gratia, & baptiſmo Chriſti. Vrgeo rationem: ſi Gentilis aliquis vellet conuerti ad Chriſtum, quomodo conuerti debe-

Soluitur primò ex eodem Baronio.

Baronius

Soluitur ſecundò negando non licuiſſe prædicare Gentilibus ante conuerſionem Cornelii. Baronius

Lorinus

Licitum fuiſſe poſt mortẽ Chriſti gentilibus Euangelizare mõſtratur.

bebat? Eſſe ne prius Circumcidendus? an non? ſane dici nequit eſſe Circumcidendum; cum Circumciſio iam expiraſſet, & tantùm Iudæis eſſet permiſſa, vt Synagoga cum honore ſepeliretur. Igitur baptizandus erat ſine Circumciſione: hoc autem quid eſt, niſi conuerti Gentilem ad Chriſtum? Niſi fortè velit dicere Baronius nullum eo tempore Gentilem poſſe conuerti. At hoc quam ſit abſurdum, apparet. Ego quidem non audeo affirmare, eos prius circumcidendos ſed tantum baptizandos. Quamdiu enim non fuit baptiſmus opus erat circumcidi, quemadmodum faciebant Proſelyti. At poſt Baptiſmum, & mortem Chriſti non erat opus circumciſione gentilibus, imo nec me iis authore licebat: quia ſolis Iudæis licebat, dum lex gratiæ non erat ſatis promulgata. Hoc ad rationem pertinet: illud ad ſcripturam. Inuenimus in Actis Apoſtolorum Gentilem baptizatum, & è gentiliſmo ad Fidem *Chriſti* vocatum. Hic fuit Aethiops ille Eunuchus Candacis Reginæ, quem fuiſſe non Proſelytum, ſed omnino Gentilem communis Auctorum ſententia eſt: quicquid Baronius reclamet. Ita Euſebius lib. 1. Hiſt. cap. 1. in fine, & Nicephorus lib. 2. cap. 6. & Arator carm. in Acta, & Gloſſa ordinaria, & interlinearis, Hugo, & Caietanus. Idem tradit perſpicue *Sanctus* Thomas cap. 12. in Ioannem lect. 4. Albertus Magnus, Ianſenius, Ioannes Arboreus, Claudius Guilialdus, Maldonatus, & Toletus, & Lorinus, apud quem hi omnes citantur: qui opinionem Baronij deſerit, & noſtrã multis perſuadet. Sed nemo melius Maldonato in Ioannem cap. 13. & Toletus ibidem. Certè Patres eam tradidiſſe videntur, dum aiunt

Idoneum argumentum à dilẽmate ductũ ex Circũciſione.

Gentilium baptizatorum exempla ante Cornelium Baronius.

Eunuchus Cãdacis Aethiops à Gentiliſmo ad Chriſtum conuerſus.

Euſeb. Nicephor. Arator Gloſſ. ordin. Hugo Caietan. S. Thom. Albert. Ianſen. Ioan. Arbor. Guiliald. Maldon. Tolet. Lorin. Cornel.

in

Pſalm. Baſil. Theodor. Oecumer. Euthym. Beda

in hoc Eunucho impletam illam Prophetiam Dauidis, *Aethiopia praeueniet manus eius Deo*, vti videre eſt in Baſilio, ſiue Theodoreto, & Oecumenio, & Euthimio in eum pſalmum. Significat idem Beda in cap. 8. Actor. quem omnino id affirmare ſentit Lorinus.

Ratio autem cur Baronius negat fuiſſe Gentilem ſumpta ex eo quod *venerat adorare in Hieruſalem*: atque adeo eſſe proſelytum, nec enim niſi eiuſmodi eſſet, adoratum veniſſet, ea certè nulla eſt: quia multi gentiles, non proſelyti, adorandi cauſa Hieroſolymam ibant. Patetque ex loco Euãgelij Ioan. 12. in quo dicitur: *Erant autem quidam Gentiles ex his, qui aſcenderant, vt adorarent in die feſto*. Quos nemo vnquam, opinor, dubitauit Gentiles fuiſſe: ac ex ipſo textu conſtat, idque diſertè tradit Maldonatus. Et Lorinus aptè animaduertit Templum illud *famoſiſſimum* in toto Orbe nominari in lib. 2. Machab. cap. 2. & in eo Heliodorum hoſtiam obtuliſſe, ac eòdem miſiſſe munera Cyrum, & Darium: vt Eſdræ narrat hiſtoria. Quid? quòd Magnus Alexander illud item eſt reueritus, & Iaddũ Pontificem adorauit. Quid? quod ante hos Zachæus, Gentilis cum eſſet, fuit tamen ad Chriſtum à Deo vocatus, & à Chriſto conuerſus, nec tamen erat proſelytus quemadmodum Euangelium ſignificat, cum narrat murmuraſſe de Chriſto Iudæos, quòd ad *hominem peccatorem diuertiſſet*. Ita de Zachæo cenſet Tertullianus, qui eum Allophylum vocat lib. 4. contra Marcionem cap. 37. Cyprian. lib. 2. Epiſtolarum epiſt. 3. & lib. de ope, & eleemoſina. Ambroſius in Luc. cap. 19. Chryſoſtomus hom de Zachæo; idque ex recentibus

Ioan. 12. Gentiles veniebãt Hieroſolyma, adorandi cauſa id queiris permiſſum. Maldon. Lorin. Lib. 2. Machab. 2.

Zachæus quis & qui ad Chriſtum conuerſus.

Tertull.

Cyprian. Ambroſ. Chryſoſtom.

bus multis argumentis confirmat Maldonatus in Luc.cap.19. Maldonat.

Accedit, quòd Baronius in ſuo Martyrologio tradit Mariam Magdalenam cum Lazaro, & Martha, & Maximino, & alijs ſocijs Maſſiliam in Gallia appuliſſe, & quidem multò antequam illa lintei ſpecies Petro eſſet obiecta, ac opinione Baronij 8.ante annis. Videtur autem eſſe incredibile tot annis nulli gentili prædicaſſe, aut nullum ad Fidem ex ijs conuertiſſe, ac expectandum fuiſſe, donec Petro illa reuelatio fieret, & ad illos ea fama perueniret. Quòd ſi centum annorum ſpatio non perueniſſet, nullus aditus ad ſalutem gentilibus aperiretur? Præterea conſtat Samaritanis fuiſſe prædicatum, quos certè paulominus, quàm gentiles Iudæi auerſabantur: ac idcirco eos cum gentilibus coniunxit Chriſtus, cum dixit. *In viam gentium ne abieritis, & in Ciuitates Samaritanorum ne intraueritis*. & patet ex verbis Ioannis 6. *non enim coutuntur Iudæi Samaritanis*, & ex maledicto Iudæorum in Chriſtum *Samaritanus es tu, & Dæmonium habes*. Si ergo Samaritanos licuit ad Chriſti fidem traducere, cur non etiam Gentiles licuiſſet?

A Magdalena, & ſociis multos Gentiles tractos ad Chriſti fidem probata Baronius

Samaritanos quantũper oderint Iudæi.

An fuerint ad Chriſtum tra. ducti ante cõuerſionẽ Cornelii.

Ad locum autem Actorum 10. vbi narratur viſio lintei, & vocatio, & Baptiſmus Cornelij, quo exemplo aperta eſt Gentilibus porta in Eccleſiam, haud difficilis eſt reſponſio. Nam tunc aperta fuit palàm in Iudæa: vbi id minus videbatur licere, quia Iudæi erant electi ob Patres, atque ad eos tantum videbatur facta promiſſio ſalutis; proinde neceſſaria erat reuelatio voluntatis Diuinæ, vt etiam inter Iudæos Gentilibus locus veniendi

Locus Act. 10 à Baronio magna vi obiectus exponitur.

ad Fidem Chriſti eſſet: vt hac reuelatione, & miraculis eam conſecutis, pateret Deum nullo diſcrimine, Gẽtilis Iudæus ve foret, quenquam habiturum. Id autem Petro reuelandum fuit, & quia ad eum tanquam Paſtorem pertinebat, & quia Iudæorum præcipue curam gerebat, ac proinde gentiles difficilius videbatur admiſſurus. At vero extra Iudæam, vbi rari, aut nulli erant Iudæi; omnes huiuſmodi rationes ceſſabant: ac proinde licebat Apoſtolis, & Diſcipulis eò intrantibus ijs Fidem, & Euangelium annunciare. Quemadmodum feciſſe credimus Iacobum in Hiſpania, & Magdalenam in Gallia: & fortaſſe Ioſephum ab Arimathia in Anglia: & Mariam Salome in Italia. Imo & Magos in Arabia, & hunc ipſum Eunnchum de quo proximè egimus in Aethiopia. Quem ait Irenæus lib. 3. cap. 12. in ea regione Euangelizaſſe: eum que ob id Hieronymus in cap. 53 Iſaiæ, & Epiſtola 103. *Apoſtolum Aethiopum, ac Magiſtrum*, vocat. Sane haud ille Circumciſionem docuit, ſed Baptiſmum. Verum quidem eſt poſſe reſpondere Baronium, Aethiopes circumcidi ſolere. At de alijs id affirmare non poteſt: ne in eam modò quæſtionem deflectamus.

Intra Iudæam non licuit palam Gentilibus euangelizare ante lintei viſionem.

Extra licuit, & firmatur exemplis

Irenæus. Hieronym.

Appendix illa primi argumenti, nempe Apollonij opinio: Apoſtolos iuſſos à Chriſto non excedere Hieroſolymis ante duodecim annos: quam Baronius Anno 39. Chriſti ex Euſebio refert, ibi ab eodem refutatur his verbis. *Profectò maioris eſſe Fidei Acta Apoſtolorum à Luca conſcripta quauis authoritate maiorum, nemo negabit: certè ante illud tempus Petrum, & Ioannem Hieroſolymis receſſiſſe, ac Samariam petijſſe, quin & ipſum Petrum,*

Apollonij de miſſione Apoſtolorum opinatio refellitur. Baronius.

vt

vt vidimus Siriam Paleſtinam viſitando Eccleſias peragraſſe, imo & vt ſuo loco monſtrabimus, eundem ante dictum tempus è Carcere ab Angelo liberatum, non tantum Hieroſolymis, ſed, è Iudæa etiam exceſſiſſe, ex iiſdem actis certum, & exploratum habetur, adeo vt omnis prorſus de duodecim annorum mora ſententia Apollonij confutetur. Hac ratione primum argumentum ſolutum manet.

§ II. D. R*oderici* Ximen*ij adducta ſuperius ratiocinatio perſpicuè refellitur.*

TRaditione, quicquid ex aduerſo Ximenius obijcit, confutatur. Sed volo manum cum hoc aduerſario conſerere, eumque ſuomet gladio iugulare. Primùm poſtulat dari ſibi ex ſcripturis auctores. Det ille item nobis auctorem ex Scripturis qui neget. Pares itaque hac in re ſumus. Traditione vincimus, cui niſi ille credat, quomodo nobis perſuadebit Eugenium Primum fuiſſe Epiſcopum Toletanum? nec tamen ea eſt vniuerſæ Hiſpaniæ, ſicuti eſt Iacobæi aduentus, traditio. Vrgeo item Baronium. Dicat ille, quibus ſcripturis probetur, Petrum Romam veniſſe, cum tamen nihil eo magis certum ſit. Non ſunt ergo ſemper Scripturæ poſtulandæ; ſatis eſt monſtrare Traditionem, ac nihil ei ſcripturas officere, quod nos accuratè, opinor egimus. Confutatur Ximenii de ſcripturarum argumento ad probandũ aduentum Iacobi in Hiſpaniam petito ſententia. Non ſola Scriptura Sacra res probantur

Redeo ad Ximenium: admiſſa narratione de qua poſtea. Vidit ille quantum in traditionibus momenti eſſet, ac eleuare conatus eſt eam de aduentu in Hiſpaniam Iacobi traditionem; *eamque Religioſis quibuſdam viduis, & Monialibus* attribuit Ximenius eleuare conatur Traditionem

buit, ceu eam vellet infringere. At quomodo potuit negare illam, qua cæteri omnes Hiſpaniæ Primates nitebantur. Itaque vnus ille traditionem inficiabatur, cæteri affirmabant. Erant autem Braccharenſis, Compoſtellanus, Tarraconenſis, & Narbonenſis, illi duo præſentes; hi ore illorum, quos ſibi abſentes ſubſtituerant. Hi autem reliquam Hiſpaniam repræſentabant. His ergo credendum non Ximenio; non enim ille poterat ſolus traditionem conuellere: quæ in pluribus reſidet, & fidem publicam habet. Nec multum Ximenio eſſe fidendum in ijsquæ ſcripſit, eius hiſtoriæ lecta demonſtrant, in quibus non pauca inueniuntur, quæ tamen propter inopiam ſcriptorum, & temporis illius iniuriam ſcriptori aliàs inſigni benignè condonanda. Et quidem quod attinet ad res Hiſpanicas, legat notas Vaſæi qui volet, & nõnulla fluxę fidei reperiet. Ego in Romanis rebus aliquos errores deprehendi, qui viro docto irrepſerunt. Cap. 2. ait Aeneam cum Aſcanio filio, & Niſo, & Euryalo nobilibus nauigaſſe. Non nouerat alios Ximenius in comitatu Aeneæ nobiles præter hos duos, qui neduces quidem copiarum erant: ſedinter milites numerabantur. Vbi Mneſthea, Sergeſtum, Gyam, Cloanthum reliquit. Hos legimus nobiles, & primates eſſe. Niſum, & Euryalum commilitones, & nobile par amicorum accipimus. Deinde eodem capite Poeticum Virgilij de Didonis amoribus cum Aenea commentum recipit, & pro vero narrat. Egregia ſane ſcriptoris fide; & Ouidij carmina recitat pro oraculis. Quæ cap. 3. de Latino Euandro, & Aenea, ac Turno commemorat, minimè cum Liuij,

Maior habenda fides 4. Metropolitanis Traditionem affirmãtibus, quàm Ximenio neganti.

Aperiuntur, & taxãtur errores Ximenii in hiſtoria.

In rebus Troianis, & Romanis lapſus Ximenii.

&

& Dionyſij,& aliornm hiſtorijs cons entiunt: poſſet qui tantum fabulis ſtudet, & traditionibus aliquid dare. Cap.4. confundit Procam cum Amulio, & Procam Fratrem Numitoris facit. Qua fide? nimirum: eà quà traditionem Hiſpanicam negauit. Verum eſt eum poſtea Amulium Procæ loco poſuiſſe. At ne ſic quidem errore ſe eximit, cum ex duobus vnum compingat. Iam vero cap.4. ait: Romulum Numitorem Auum ſuum occidiſſe. Se ſolo nimirum authore. Sed ille mirus eſt,& quod mendum typographi putem,error in eodem capite. Sex tantum Reges Romanos agnouiſſe. Cum lippis, tonſoribuſque ſit notum, eos ſeptem extitiſſe! Deus bone? Hoc ne Ximenius ignoraret? Tarquinium Priſcum cum cæteros, numeraſſet, prætermiſit, & Superbo tantum tribuit, vt ex eo fecerit duos. Amabat vir ille elatos, & vehementes. Quid? quod cap.6. recenſens Romanos Conſules, & Dictatores,ita hinc, inde eos carpit, vt ſine vllo delectu, & ordine præpoſtero plures numeret. Nec melius pugnas Anibalis cum Romanis ducibus, ac de ijs partas victorias commemorat. Additque in prælio apud Fluuium Sarnum ictu Annibalem amiſiſſe oculum.Nec de illo ad Sarnum prælio conſtat, & conſtat Annibalem non ex ictu, ſed ex glaucomate in paluſtribus locis contracto oculum amiſiſſe. Perperam autem victorias Scipionis enarrat, ſed ibi turpiter labitur, vbi vni Scipioni Africano victoriam de Annibale, & excidium Carthaginis attribuit. Ecquis enim ignorat Scipionem maiorem viciſſe quidem Anibalem, ſed euerſorem Carthaginis non eum, ſed Scipionem Aemylianum, qui minor eſt dictus,

Inſignis error eiuſdem.

His lapſus in hoſticiis.

eiuſque nepos adoptiuus extitit, fuiſſe? Tandem cap.10. & vltimo Iulium Cęſarem Generum Pompeij vocat, cum ſocer eſſet. Narrat Pompeium inuitatum ad conuiuium inter epulas interfectum, ac neſcit in lembo à priuatis militibus occiſum. Ibidem affirmat Sextum Pompeium in prælio ad Mundam cecidiſſe. Cneium verò euaſiſſe, cum contrà acciderit. Non nego magnum eſſe Authorem Ximenium, & vt illa erant tempora, eruditum, & accuratum: toties tamen ab ſcopo aberrauit. Quo igitur iure, cum tot menda in breui hiſtoria admiſerit, vult ſibi fidẽ in Concilio adhiberi? Equidem non ei credidero, etiamſi pertinaciter neget, Iacobum in Hiſpaniam veniſſe, & credenti Baronio, vel ſaltem dubitanti hæc obijciam in hiſtoria peccata, quæ miror eum non legiſſe, nam ſi legiſſet eum ab illo argumẽto aduerſus traditionem confićto minimè abſoluiſſet. Doleo me in ea tempora non incidiſſe, nec in eo Concilio intereſſe potuiſſe. Equidem ſi intereſſem non paterer ab eo Traditionem ſacratiſſimam ijs artibus conuelli: eumque acriter reprehendiſſem, & ab illa loquendi licentia reuocaſſem: Clamarem cum Stephano Papa apud Cyprianum. *Nihil innouetur: niſi quod traditum eſt.* Et nomine Epiſcoporum tacentium clamanti Ximenio reſponderem, quod Nyſſenus Ablauio in Epiſtola. *Sin autem noſtra oratio propoſita quæſtione infirmior arguatur. Traditionem quidem quam à Patribus per ſucceſſionem accepimus, ſeruabimus, in perpetuum firmam, & immotam.* Demum Baronio ob authoritatem Ximenij titubanti, & à ſcriptis primum reſilienti opponerem, quam ille Chryſoſtomi affert in ſuis an-

Fides Ximemenii tot errorum argumento infringitur.

Cyprianus

Traditionem fatis Ximenius refutatur. Nyſſenus

Chryſoſt.

annalibus Anno Chriſti 153. num.XXIX. maiuſculis characteribus ſcriptam ſententiam. *Traditio eſt: nihil quæras amplius.* Et ad Epiſcopos competitores conuerſus illud Pauli 2.Theſſalon.3. contenta voce dicerem. *Fratres ſtate, tenete Traditiones.*

§.III. *Satisfit obiectioni ex correctione Breuiarij Romani, facta à Clemente VIII.*

ETſi ſatis opinor ſuprà illam diluerim, imò, & retorſerim, volo tamen paulò accuratius refellere, commemorando ea, quæ in reſtituenda ſolemni, & veteri lectione Vrbano VIII. Pontifice acciderunt. Atque vt altiùs ordiamur. Antiquum Breuiarium Romanum veniſſe Sanctum Iacobum in Hiſpaniam certò affirmabat: idque Pius V. in ſua correctione integrum, ac inuiolatum eſſe voluit. Poſtea cum Cardinalis Baronius ob illud manuſcriptum Toletanum à Garzia Loayſa infeliciter repertum, de eo cæpiſſet ambigere, tanti viri authoritas Vrbem commouit. Exorta igitur contentio eſt, vtrum deceret antiquam illam formulam retinere, quæ eius rei auctorem Eccleſiam Romanam ſignificabat, & publicæ Fidei, ſacræque quodammodo faciebat? An aliam de nouo concipere, quæ ad Traditionem Hiſpaniarum, rem cum Fide tantum Hiſpanicæ gentis, traduceret: vt illa ſuis Authoribus nixa ſtaret, nec intra Romanos ſinus reciperetur. Viſum hoc eſt Clementi VIII. æquius, & congruentius: cum præſertim affirmata traditione, minime labare Hiſtoriæ Fides videretur. Magnum huic ſententiæ pondus ad-

Vrban.VIII. examinat, & recognoſcit Breuiarium Romanum.

Aduentus S. Iacobi ex Breuiario conſtabat.

Baronij authoritas dubitantis formulam Breuiarii mutandi cauſa.

Clem. VIII. ea mouetur.

addebat Cardinalis Baronij, cuius grauiſſimum erat iudicium, noua de aduentu Sancti Iacobi in Hiſpaniam dubitatio. Quare illo in primis authore, mutata eſt priſca, & vetus, noua *Traditionis* inſerta particula, formula narrationis, quæ huiuſmodi fuit. *Mox Hiſpaniam adijſſe, & aliquos Diſcipulos ad Fidem conuertiſſe, Eccleſiarum illius Prouinciæ Traditio eſt.* Peruenit ad Hiſpanos fama: non potuerunt non vehementer dolere de inexpectata correctione: cumque inter cæteros eius gentis homines vnus eruditus, & inſignis amator Patriæ Didacus à Caſtillo Romæ tum eſſet, obſiſtere Decreto voluit, & priſcam Breuiarij formulam ſuſtinere. Scripſit ſuper eo Commentarium, quem cum ipſimet Baronio legendum deditet, miratus is, confirmauit idoneum eſſe, & ſibi omnino probari. Non potuit tamen ſcriptum, quod iam erat typis cuſum reuocare. Donec Vrbano VIII. Pontifice, qui ſeriò de recognitione Breuiarij, & Miſſalis, & cæterorumquæ ad Diuinum cultum, ſacroſque ritus pertinent officiorum, & correctione agitabat, adnitente D. Michaele d'Erae Ximenez viro impigro, & docto de reſtituenda veteri lectione, & inducenda noua agi cœptum. Dura Prouincia videbatur, ſed interuentu Cardinalis Borgiæ, legati Hiſpaniæ ad Vrbanum Pontificem Regij, admiſſa, & ſuſcepta cauſa fuit. Nihil diligentiùs, & accuratiùs examinatum, nihil ſæpiùs, & penſiculatiùs tractatum. Donec re perſpecta, & explorata, noua lectio antiquata, & vetus renouata. Hac formula. *Mox in Hiſpaniam profectus ibi aliquos ad fidem conuertit.* Cuiuſmodi hodie vbique habetur, & legitur. Narrat

Affirmatio in Traditionem tranſit.

Baronius iterum fauet S. Iacobi aduētui.

Opponunt ſe acriter Hiſpani.

Suſcipit cauſam Vrbanus VIII.

rat hæc latius idem Michael Erze Canonicus Legionenſis initio libri, quem Hiſpanico ſermone eruditè, ac ſolidè de aduentu Sancti Iacobi in Hiſpaniam ſcripſit. Cuius ego tamen authoritate vti nolo, quòd & Hiſpanus, & huius cauſæ Actor fuit. Afferam itaque teſtimonium Bartholomæi Ranaldi Lucenſis, Protonotarij Apoſtolici in notis ad annum 1635. die 25. Iulij vbi ſic. *Affirmatiua* inquit, *quæ habebatur in Breuiario Romano Pij V. de prædicatione Sancti Iacobi in Hiſpaniam, & per recognitionem Clementis VIII. reducta fuerat ad traditionem illarum Eccleſiarum illius Prouinciæ, nunc reſtituta eſt in ampliori forma per nouam Sanctiſſimi Vrbani VIII. recognitionem.* Quod ipſum alias repetit. Nec opus eſt alia fide, cum ipſummet Breuiarim ſatis per ſe loquatur. Hac autem voce litterariæ ibi controuerſiæ ſilentium impoſitum. Ecquis enim deinceps audeat contradicere? Adeo vt me penè pudeat iſtam quæſtionem excitaſſe, verum, non quòd quis ambigat diſputo, ſed vt quãto ſit iure reſtituta lectio, conſtet, acta confirmo.

Erze Ximenez.

Bartholomęus Ranaldus

Deleta Traditione reſtituitur Affirmatio.

APPENDIX.

QVoniam multum operę in hoc argumento ex Breuiarijs ſumpto, poſuimus, oportet eius rei cauſam reddere. Ea demum eſt, quod video Baronium hoc genus probandi magni facere: ac mihi ad ei perſuadendum Sanctum Iacobum veniſſe in Hiſpaniam nullum aptius argumentum obuenire potuiſſe; quandoquidem eo maximè confirmatam vult Sancti Dionyſij Areopagitæ in Gallias profectionem, & prædicationem,

Quanta ſit fides Breuiariis habenda.

&

Dionifii Areopagitæ aduentus,&prędicatio in Gallia.

& Pariſijs ſedem, quæ haud minus hiſtoria facilis eſt probatu, quàm ille eſſe duxit Sancti Iacobi in Hiſpaniam aduentum, & in ea doctrinam, propter ambiguas de eo, ac diſcrepantes Gallorum ſententias. Quas ille tamen imprimis componit, adducta Miſſalium, & officiorum Gallicanorum authoritate. Produco autem locum, qui eſt eiuſmodi ex Martyrologio Romano Octobris 9. Anniuerſario Sancti Dionyſij die. *Quod autem* inquit *pertinet ad teſtimonium Sanctæ Romanæ Eccleſiæ*, quo idem *Hincmarus eandem rem comprobatam affirmat, cum ad eam probandam citat antiqua Miſſalia Gallicana, ea probata dicit authoritate Romanorum Pontificum Innocentij, Gelaſij, atque Gregorij, quorum ea de cauſa epiſtolas apud eandem Pariſienſem Eccleſiam extare teſtatur, in ſacris enim Miſſæ præfationibus moris erat vitam illius Sancti, cuius ſolemnitas ageretur, ſummatim collectam publicè recitari, vt etiam in Sacramentario S. Gregorij, & in Miſſali Ambroſiano hactenus cernitur.* Et rurſum. *Ad illud etiam quod* idem Hincmarus ait. *Et Gallica intimat conteſtatio, ſufficere poſſunt nimirum antiquorum tot Miſſalium Fides, & acta ipſa, quæ ex antiquis monumentis, & à Visbio Hilduinus collegit.* Et tertiùm ibidem. *Trophimum Arelatem, Paulum Narbonam, & Martialem omnes liquidò conſtat ab Apoſtolis eſſe directos, prout acta, & antiqua Martyrologia teſtantur.* Quibus tantum Fidei ineſſe vult, vt ijs Gregorium Turonenſem, Magnum certè Authorem refutet. Et quamquam hic tertius locus non faciat mentionem de Breuiarijs, perinde eſt, ac ſi faciat, cum de actis loquatur, quæ in Breuiarijs continere ſolent. Et quidem ſunt hæc maioris

Baronius, quantum deferat authoritatis ſacris officiis, & Martyrologiis.

Miſſale Ambroſianum.

Hincmarus

Gregor. Turonenſis.

Fi-

Fidei cum ſint ab Eccleſia, ſiue iubente, ſiue approbante intexta. Quare quo argumento Baronius Gregorium Turonenſem refellit, eodem nos Baronium vrgemus, eíque perſuademus Sanctum Iacobum in Hiſpania prædicaſſe. Baronius irogeт argumentum conuincitur.

§. IV. *Reſpondetur argumento ab Authorum Hiſpanorum diſſenſione, & contentione ducto.*

EO nos petit Spondanus tomo 1. annal. Baronij Anno 44. num. 7. in fine, vbi ait. Hiſpanos alios aliorum argumenta refellere, & ruinæ periculum ædificio afferre. Facile tamen hoc argumentum confutatur; nam ex eo, quod ſingulæ Prouinciæ pugnent pro Iacobo, ad ſe trahendo, non ſequitur eum in Hiſpaniam non veniſſe: imò ſequitur veniſſe, niſi enim veniſſet, non contenderent eum ad ſe trahere Prouinciæ. Igitur idcirco conantur eum ſibi ſingulæ vendicare, quod certum putent eum in Hiſpania fuiſſe. Vnde ineptum eſt argumentum: ſingulæ pugnant, & impugnant alias, ergo non venit. Imò quia venit, idcirco vnuſquiſque conatur eũ ad ſe trahere. Alioqui pugnando pro ſe, & impugnando alios, ſequitur Homerum Græcum non fuiſſe, quia tot de eo Ciuitates contendebant. *Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Ios, Argos Athenæ*; nemini ſane in mentem venit negare Homerum Græcum fuiſſe, quod diſſenſio, & contentio de eo inter ſeptem Ciuitates fuit. Cur ergo non de Anacharſi, aut Numa Pompilio ciuitates illæ inter ſe pugnarunt? nimirum quia ſciebant Anacharſim eſſe Scytham, Numam Romanum: nec poſſe conari eos, qui Græci non erant,

Spondanus

Illius argumentum refellitur.

De patria Homeri inter Græcos contentio.

ad Ciuitates Gręcas trahere. Homerum vindicare poterant, quia cum in Græcia natus eſſet, poterat in illa, vel illa Ciuitate naſci. Ita, cùm conſtaret Iacobum Apoſtolum Hiſpaniam petijſſe, ac non poſſet in eam, niſi per aliquam certam intrare, volebant ſingulæ Prouinciæ affirmare, in ſuum primum portum appuliſſe. Idque ex ſtudio, & pietatis, & Religionis in Apoſtolum profectum; quod inane prorſus eſſet, niſi Iacobus ad eas regiones perueniſſet. Sin dicat Aduerſarij, cur Prouinciæ Hiſpaniæ de Ioanne, Bartholomæo, Matthæo, aut Simone, aut de Iacobo minore non litigant, non contendunt; niſi quia ſciunt horum neminem in Hiſpaniam veniſſe? Hinc igitur firmiſſimum ſumitur argumentum penetraſſe Iacobum Apoſtolum in Hiſpaniam, quod non de alijs, ſed de illo vno ſingulæ tam acri, & pertinaci ſtudio concertant. Cumque de Petro, & Paulo item poſſent, quod non ſit improbabile eos ad Hiſpaniam perueniſſe, quemadmodum ſupra indicauimus, aſſerere; nulla tamen de illis ſibi vendicandis contentio eſt inter Hiſpanos authores: quaſi ij ad ſe non pertinerent, alijs Prouincijs relinquunt. In ſolo Iacobo Apoſtolo morantur. Hinc Tarraconenſes, hinc Bætici inſiliunt, apprehendunt, & ad ſe trahere ſtudent; quod exiſtimant cum venit in Hiſpaniam in ſuos portus appuliſſe; atque adeo poſſe ſingulos pro iure hoſpitij vendicare. Et quidem ex argumentis quæ quiſque pro ſe adducit, apparet Apoſtolum totam fermè Hiſpaniam peragraſſe. Idque fortaſſe æquius eſſet dicere; & omnibus commune aduentus, & Prædicationis bonum facere. Sed Hiſpani eo non contenti,

Prouinciæ Hiſpaniæ de S. Iacobi aduentu ſingulę contendunt.

Id argumento eſt, cum in Hiſpaniam veniſſe.

Qui populi in Hiſpania ſibi vendicare B. Iacobum primo velint.

tenti; dum quiſque vult illud hoſpitium vendica- re, alij alios impugnant: non tamen ij negant Ia- cobum apud alios fuiſſe, & prædicaſſe, dummo- do enim primi in eo excipiendo fuerint, non dubi- tant eum alijs communicare. Sed negant prius ad alios, quàm ad ſe veniſſe.

Hoc certamẽ ex pietate, & amore in Iacobum ortum

Debuiſſent facere Hiſpani in Iacobo viuo, quod Galli in Iacobo mortuo. Aiunt quippe ſe Toloſæ habere Corpus Iacobi maioris. Sed quod negare non poſſunt illud Compoſtellæ Leone III. Pontifi- ce, Carolo Magno Imperatore, Alphonſo Caſto Rege inuentũ eſſe affirmant ſe Toloſę illius partem id eſt caput habere: ac ea contenti quieſcunt, quẽ- admodum ſcribit Reſendius ad Kebedium. Qua de re ſic Spondanus tomo primo ad illum Annum Chriſti 44. num. 4. ad finem. *Quod vero attinet ad Corpus Apoſtoli, gloriatur & Toloſa noſtra de poſſeſ- ſione illius, aut certè magna partis. Nec qua aduer- ſus hanc aſſertionem protulit vnus ex recentioribus Hiſtoricis Hiſpanis (nempe Maurus Caſtel Ferrer in Hiſtoria Sancti Iacobi lib. 3.) eiuſmodi ſunt vt id ne- gent. Aiunt illa quidem eſſe Compoſtella Corpus San cti Iacobi, ſed non dicunt eſſe integrum.* Rectè qui- dem, & prudenter (opinor) Spondanus, non ſo- lum de Corpore Sancti Iacobi Apoſtoli, ſed de alijs etiam quæ in illo augusto templo eſſe omni- um penè Apoſtolorum dicuntur, affirmauit: hac enim ratione verum erit, ea ibi condi, & ſerua- ri. Nam cum Sanctorum Petri, & Pauli, & Phi- lippi, & Iacobi, & Bartholomæi corpora Ro- mæ ſint; Diui Thomæ vel Edeſſæ, vel Calaminæ, Matthæi Amalphi, Iacobi Compoſtellæ; qui de illo Toloſano Templo affirmant nouem, vel de- cem,

Galli iactant ſe habere Corpus S. Iacobi.

Spondanus

Toloſates an & quomodo tot corpora Apoſtolorum ſibi vendicẽt?

cem, vti ego illac à tranſiens audiui, Apoſtolorum Corpora condita ſeruari, non poteſt omnino, ac ex integro ſuſtineri: ſuſtinebitur autem ea ratione, vt cum pars aliqua ibi ſit collocata, ex parte totum per ſynecdochin intelligatur. Verum quia corpus viuum non eſt capax huiuſce diuiſionis, nec Diuus Iacobus per partes eſſe in ſingulis Prouincijs potuit, demus temporibus, id quod artubus trinequit, & concedamus Sanctum Iacobum Apoſtolum vnum & eundem totam Hiſpaniam peragraſſe, & diuerſis temporibus in ijs quæ litigant Prouincijs fuiſſe. Imitandi nobis ſunt Galli, qui Traditionibus ſuis tanquam Polypi ſaxis ſuis adhærent; nec vlla ſe ratione ab ijs auelli patiuntur, cum tamen aliquæ aliarum gentium traditionibus noceant; qua de re cum ijs expoſtulat Reſendius ad Kebedium. Igitur vndecunque arripi, & trahi ſua monumenta viderint, non curant, hærent firmiter, in eodem ſtant *veſtigio*, nec moueri ſe patiuntur. Quid tam in *Hiſtorijs* difficile, quam Dionyſij Areopagitæ in Gallias profectio, & ſedes Pariſijs locata, & iuxta illam principem Vrbem Martyrium? Adeò vt fateatur Baronius ea de re quæſtionem ante 700. annos agitatam, & definitam: nec tamen prorſus ſolutam; imò à nonnullis ſui temporis ſcriptoribus in controuerſiam deduci; nec id ſolum, verùm poſtea experti ſumus à nobiliſſimis Gallis Authoribus aperte negari eũ Areopagitam fuiſſe: in qua ſententia eſt vir eruditiſſimus Reſendius, nec ideò tamen Galli ab ea, quam ſemel imbiberunt traditione volunt recedere, eoſque qui alium conatur Dionyſium intrudere, magna vi repellunt, quin imo & apud ſe affirmant

Gallos ſuo exemplo conuincimus.

Andreas Reſendius.

De D. Dionyſio Areopagita quæſtio. An venient in Galliam? Baronius, Reſendus

eiuſ-

eiuſdem martyris corpus eſſe cum tamen illud ſibi vendicent Ratiſponenſes, Germani: quibus litem adiu dicauit Leo IX. Diplomate dato, & in 3. tom. Conciliorum 2.p.poſt eius epiſtolas adducto. In quo declarat Corpus S.Dionyſij excepta minima parte dextræ manus in monaſterio S.Emmerani Ratiſpone reperiri, & iubet Gallis, vt eo dimiſſo Corporibus S.Eleutherij, & Ruſtici ſint contenti. Nec ij tamen deſiſtunt à contentione, & vehementius, & acrius, ac iuſtius ſanè pro Corpore Martyris pugnant, quam Græci pro corpore Patrocli olim pugnaſſe in Homero leguntur. Non ſunt ij nobis Hiſpanis conſtantiores; hac enim certè virtute vincimus: ne igitur cuiquam, quicunque ille demum ſit, qui Sanctum Iacobum velit ſubducere, & auertere, cedamus: eique firmiter adhærentes, ſiue illatam vim, ſiue adhibitum aſtum propulſemus.

Atque vt alio idoneo item exemplo vtamur. Gallis perſuaſum eſt penes ſe eſſe Caput Ioannis Baptiſtæ, quod ijs Baronius in Martyrologio prorſus negat, affirmans alterius Ioannis Martyris illud fuiſſe. Tenent nihilominus Galli mordicùs ſuſceptam theſim, & Baronio dicem dicunt, quod illa eos poſeſſione voluit exturbare. Mirabilius eſt, quod cum legant Auguſtæ Prætoriæ in Subalpinis partem ſaltem eiuſdem capitis ſeruari, & penè conſtet illud Romæ, excepto mento ad S. Syluestri in Monaſterio Monialium ab omni fermè Europa coli, non deſinunt tamen affirmare Angeliaci partem vnam, alteram Lugduni, alteram Ambiani ſe habere: vt neceſſe ſit illud caput aut multiplex eſſe, aut tamquam panes illos Euangelicos,

De capite Ioannis Baptiſtæ nobilis cõtrouerſia.

Qui dicant apud ſe eſſe cum Romæ ſit

Galli Baronio litem ſuper eo intendunt.

licos, & piſces in manibus portantium multiplicatum fuiſſe: niſi forte quod in Borbonica clade milites non potuerunt efficere, à quorum rapina, & furore Moniales illæ caput auerterunt: poſtea pij aliqui, & religioſi viri perficere potuerunt. Nec obſtat pugnaſſe inter ſe illos in Gallia populos de capitis poſſeſſione, quominus affirment eo ſe frui, ſaltem in partes ſecto, vt omnibus ſufficiat. Hoc nos Hiſpanos documento erudiunt, vt etſi de aduentu Iacobi in certam aliquam Hiſpaniæ Prouinciam dubitemus, eum tamen in Hiſpaniam veniſſe fateamur. Imò & ſuo Gallos exemplo coerceamus, eoſque doceamus poſſe nos mutuò de aduentu Iacobi in ſingulas Prouincias ambigere, nec tamen dubitare vlla ratione poſſe, quin Hiſpaniam adierit, eamque prædicatione ſua illuſtrarit. Quod extra omnem controuerſiam eſſe volumus: idque opinor certiſſimis argumentis monſtramus.

Seruatum fuit Caput Ioannis Baptiſtæ à Monialibus tempore Borbonicæ inuaſionis.

Spondanus, & Galli refutãtur.

§. V. *Teſtimonia Innocentij I. & Gregorij VII. contra producta ex Baronio expenduntur.*

INnocentij I. teſtimonium duas habet partes. Prima affirmat in Italia, Gallia, Hiſpanijs, Africa, atque Sicilia nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores conſtituerunt Sacerdotes. Hæc nihil continet aduerſum Traditionem generalem, quæ tradit Iacobum in Hiſpaniam veniſſe, & ibi prædicaſſe, ſed aduerſum traditionem Eccleſiarum particularium, quæ affirmant ab eo eſſe inſtitutas, & Epiſcopos à Iacobo accepiſſe. De quo ego abſtineo dicere, qui id ago, vt probem generatim

Non ſequitur ex epiſtola Innocētij Iacobum Apoſtolum non prædicaſſe in Hiſpania.

Ia-

Iacobum euangelizaſſe in Hiſpania, quod fieri potuit ſine erectione Eccleſiarum, & inſtitutione Epiſcoporum. Quare ſtat mea veritas cum Innocentij doctrina. Do Innocentio ſolum Petrum, & ſucceſſores Pontifices miſiſſe in Hiſpaniam Epiſcopos, & Eccleſias in ea inſtituiſſe. Nego tamen Apoſtolum Iacobum non prædicaſſe: aliud quippe eſt prędicare, aliud Eccleſias inſtituere. Cum præſertim conſtet apud veteres authores Iacobum ſeptem tantum, aut nouem homines conuertiſſe; qui non ſunt ſatis ad Eccleſiam, ne vnam quidem inſtituendam, ne dum ad plures, quas Innocentius inficiatur erectas. Hac ratione manet antiqua traditio inconcuſſa, vti à nobis eſt propoſita, & aſſerta. Ita ſentit Ioannes Vaſæus diligentiſſimus antiquitatis indagator, & vindex, qui tradit anno 44. Chriſti ſex Epiſcopos Roma in Hiſpaniam miſſos à Petro, & Paulo fuiſſe. *Iis tantum laborandum eſt, qui aiunt in ſuis quas volunt præcedere alijs iure antiquitatis Prouincijs Eccleſias erectas, & Epiſcopos inſtitutos.* Quod ego in medio relinquo: nec volo aut affirmare, aut negare. Cuique ſuum ius, & arbitrium liberum relinquo. Cum Innocentio non contendo, qui mecum non pugnat. Et quidem pars iſta difficultatem non habet. Sanè Boſius de ſignis Eccleſiæ lib. 4. cap. 5. Aduentum D. Iacobi in Hiſpaniam confirmat. Epiſcopos non veretur Romæ aſſignare, quòd eos à Petro, & Paulo Hiſpania accepiſſet.

Ioan. Vaſæus.

Quinam inſtituerint Eccleſias in Hiſpania?

Qui eò miſerint Epiſcopos?

Boſius.

Secunda negotium faceſſit: *Aut legant*, inquit, *ſi in his Prouincijs alius Apoſtolorum inuenitur, aut legitur docuiſſe?* negat igitur vſquam legi, alium

Apo-

Apoſtolum ibi docuiſſe, ideſt prædicaſſe, præter Petrum, non quòd hunc in ijs Prouincijs prædicaſſe affirmet, ſed quod eò miſerit Prædicatores. Hac particula videtur excludi Iacobus Hiſpania. Primum miretur quis Innocentium negare legi vſpiam, alium Apoſtolum eas adiſſe Prouincias, cum Paulus in Italiam venerit, & Romæ fuerit, & docuerit: idque de Fide conſtet, cum in Actis Apoſtolorum habeatur. Deinde vt de Hiſpanis loquamur, quot Patres tum Græci, tum Latini ſcribunt Paulum ibi prædicaſſe? ij ſunt Hippolytus in libello de ſeptuaginta duobus diſcipulis. Athanaſius ad Draconiſium. Cyrillus Hieroſolymitanus Catech. 17. Epiphanius hæreſi 27. Chryſoſtomus in præfat. in Epiſt. ad Hebræos, & de laudibus Pauli hom. 7. & in Matt. hom. 76. Theodoretus in Epiſt. ad Timotheum cap. vltimo, & in Epiſt. ad Philip. cap. 1. & in Pſalm. 116. Hi ex Græcis. Ex latinis Hieronymus in Iſaiam cap. 11. Gregor. Papa lib. 31. moral. cap. 22. Iſidorus de vita, & obitu Sanctorum cap. 71. Beda in Martyrologio 11. Kal. Aprilis, & alij recentiores. Verum non poterat hos noſſe omnes, aut legere Innocentius, qui erat multis antiquior. At non paucos legere, & noſſe potuit, qui eo fuerunt antiquiores. Potuit Hippolytum, potuit Athanaſium, potuit Cyrillum, qui haud dubiè ante Innocentium fuerunt. Potuit prætera Epiphaniu m, & Chryſoſtomum, & Hieronymum æquales legere: nullos tamen legiſſe mirum eſt; quòd ſi legit, quomodo negat id ſcriptum inueniri, cum præſertim poſtea dicat in Epiſtola. *Quod ſi non legunt, quia nuſquam inueniunt?* Poſſent enim reſpondere Hiſpani in his

Hyppolit. Athan. Cyril. Epiphan. Chryſoſt. Theodor. Hieron. Gregor. Iſidor. Beda

ſe

ſe authoribus inueniſſe, & legiſſe Paulum in Hiſpania verſatum fuiſſe, & ibi Euangelizaſſe. Igitur poſſent etiam dicere Innocentio Iacobum in Hiſpaniam penetraſſe, & in ea prædicaſſe: ſeque id traditum accepiſſe. Sed quoniam credibile non eſt, Innocentium nullum ex his, aut alijs, qui ſcripſere Apoſtolos in ijs, de quibus loquitur Prouincijs prædicaſſe, legiſſe vnquam: diligenter inſpecto textu Epiſtolæ, & conſiderata mente Innocentij apparet, eum eo tantum ſenſu locutum, quo cæperat negando vllum alium Apoſtolum præter Petrum Eccleſias in ijs Prouincijs erexiſſe, & Epiſcopos inſtituiſſe: atque adeo hanc ſecundam partem ad primam redire: nec aliud Innocentium quàm quod in ea primum aſſeruerat, deinceps affirmare. Non enim negare poterat Paulum Romę prædicaſſe, ſed quia Romæ nec Epiſcopum dederat, nec Eccleſias inſtituerat, non habuit rationem aduentus, nec prædicationis, quia de iſta minimè cogitabat: ſed de illa tantum quæ cum erectione Eccleſiarum, & inſtitutione Epiſcoporũ coniuncta erat, mentionem facere voluit. Patet hoc ex contextu Epiſtolæ, quæ ſcopum continet, quò eius mens collimat; is erat conſeruare, & cuſtodire Eccleſiaſtica inſtituta, & traditiones communes, & antiquas, & ad publicam diſciplinam ſpectantes, quas nolebat nouis, & peregrinis inſtitutionibus miſceri, & corrumpi. Hæc autem quoniam non pertinebant ad priuatam ſingulorum Fidem, ſed ad communem Eccleſiarum adminiſtrationem de earum inſtitutione loquebatur, eo argumento, quod cum illæ à ſolo Petro, & ſucceſſoribus eſſent erectæ, non deberent alijs inſtitu-

Exponitur textus Epiſtolę Innocentii.

 tioni-

tionibus regi, quam ijs quas initio à ſuis authoribus acceperant. Audiamus Innocentium. *Si inſtituta Eccleſiaſtica, vt ſunt à Beatis Apoſtolis tradita integra vellent ſeruare Domini Sacerdotes, nulla diuerſitas, nulla varietas in ipſis ordinibus, & conſecrationibus haberetur; ſed dum vnuſquiſque non quod traditum eſt, ſed quod ſibi viſum fuerit, hoc æſtimat eſſe tenendum, inde diuerſa in diuerſis locis, vel Eccleſijs aut teneri, aut celebrari videntur, ac fit ſcandalum populis; qui dum neſciunt traditiones antiquas humana præſumptione corruptas, putant ſibi, aut Eccleſias non conuenire, aut ab Apoſtolis, vel ab Apoſtolicis viris contrarietatem inductam.* Hoc nequit de Fidei documentis intelligi, nec enim de ijs poterat eſſe diuerſitas, aut in his corruptio: nec earum pro arbitrio mutatio. Itaque de inſtitutionibus, & adminiſtrationibus communium, & publicarum rerum ad Eccleſiam ſpectantibus ſermo erat. Has autem ille omnino volebat incorruptas, & inuiolatas ſeruari. *Quis enim neſciat* inquit *aut non aduertat id quod quod à Principe Apoſtolorum Petro* Romanæ *Eccleſia traditum eſt, ac nunc vſque cuſtoditum ab omnibus debere ſeruari, nec ſuperinduci, ac introduci aliquid, quod aut authoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? præſertim cum ſit manifeſtum in omnem Italiam, & cæt.* Iam intelligit, opinor, lector quid ſibi Innocentius velit, & quid neget, dum inficiatur alium Apoſtolum præter Petrum in ijs Prouincijs docuiſſe, hoc enim verbo vtitur data opera Pontifex; non negat *Prædicaſſe*, ſed *docuiſſe*: *legant ſi in his Prouincijs alius Apoſtolorum inuenitur, aut legitur docuiſſe*. Quod verbum ad communem Ec-

Innocētii verba adducuntur, & in rem noſtram explicantur.

De ritibus, & cæremonijs Eccleſiaſticis loquitur Innocētius non de doctrina, & prædicatione Fidei.

Eccleſiarum inſtitutionem pertinet; & Eccleſiaſticam diſciplinam, de qua Innocentius agebat. Non obſtat igitur hoc verbum quominus aliquis Apoſtolus prædicaſſet, & conuertiſſet priuatos: id tantùm vetat, ne quis credat aliquem ibi Eccleſiam fundaſſe, & diſciplinam Eccleſiaſticam tradidiſſe: idque ex adiunctis in ea Epiſtola capitulis patet, quæ octo ſunt, omnia ad rerum ſacrarum communes inſtitutiones pertinentia vti manifeſte apparet. Summa eſt: Innocentium inficiari quenquam alium præter Petrum, & ſucceſſores Eccleſias inſtituiſſe, idque verbo *docere* ſignificaſſe, non vero inficiari vllum alium Apoſtolum *prædicaſſe*. Hoc ſenſu dixit Stephanus Papa VI. Epiſtola ad Baſilium Imperatorem: *Inſtitutio enim, & ſacerdotium omnium, quæ in Orbe ſunt Eccleſiarũ à Principe Petro ortum accepit, per quem etiam nos ſinceriſſima, & puriſſima doctrina monemus omnes, & docemus.*

Stare optimè cum Innocentii I. epiſtola Iacobi prædicationem oſtenditur.

Summa doctrina Innocẽtii.

Ad ijcio: quocunque tandem ſenſu verba ſumantur, non ruere traditionem; cum Innocentius ſolum mentionem ſcriptorum faciat, negetque vſpiam legi. Potuit enim non legi, & tamen tradi. Quo nihil Traditioni detrahitur, qua nos quidem; vti ſupra ſæpius diximus, nitimur, nec multùm de Auctoribus laboramus.

Inter Traditionẽ, & Scripturam ſubtilis, ſed apta diſtinctio.

Eadem eſt reſponſio ad locum Gregorij VII. quem obijcit deinde Baronius. Ille enim diſertè ait, *Septem Diſcipulos Epiſcopos ab Vrbe Roma ad inſtituendos Hiſpaniæ populos à Petro, & Paulo directos fuiſſe.* Quod nolumus inficiari. Poquerunt enim hi, ſiue Diſcipuli Iacobi fuerint, ſiue Petri, ſiue Pauli, ordinari Epiſcopi Romæ, & inde ad

Gregor. VII. locus exponitur.

Hiſpanias mitti; quod placuit Baronio melius in Martyrologio ſentienti. Verum quidem eſt Gregorium videri in ea opinione eſſe: Paulum in Hiſpania prædicaſſe, vti optauerat; & ſignificauerat ſe facturum. Et idcirco adieciſſe. *Vnde enim non dubitatis vos ſuſcepiſſe Religionis exordium, reſtat, vt inde etiam recipiatis in Eccleſiaſtico ordine diuinum officium.* Verum hæc ſententia contradicit Gelaſio Papæ, qui negat Paulum Hiſpaniam petijſſe, ac refertur 12. quæſt. 2. cap. *Beatus*, vbi ſic. *Beatus Paulus Apoſtolus non ideo (quod abſit) feſelliſſe credendum eſt, aut ſibi extitiſſe contrarius, quoniam cum ad Hiſpanos ſe promiſiſſet iturum, diſpoſitione diuina maioribus occupatus ex cauſis implere non potuit quod promiſit. Quantum enim ipſius voluntati interfuit, hoc pronunciauit, quod reuera voluiſſet efficere. Quantum enim ad Diuini ſecreta conſilij, quæ vt homo omnia non potuit, licet Spiritu Dei plenus agnoſcere, ſuperna prætermiſit diſpoſitione præuentus.* Igitur non à Paulo ij Diſcipuli, quos cum Petro miſit in Hiſpaniam ab eo ibi erant ad Chriſtum conuerſi; ſed aut ijdem fuerant Iacobi, quos cum Romam veniſſent Petrus, & Paulus inſtituiſſent Epiſcopos: aut alij præter eos, quos ordinatos Romæ in Hiſpaniam ire iuſſerunt. Vtcunque ſit: potuit Paulus in Hiſpaniam mortuo Iacobo venire, & vnam eius partem luſtrare, in quam Iacobus non penetraſſet: cuiuſmodi erat illa ſita in medio Hiſpaniæ, vbi Reges erant, ad quos ſcribebat Gregorius, & ibi Euangelium prædicare. Cum præſertim tam paucos Diſcipulos Iacobus Apoſtolus conuertiſſet. Et quidem maximus fructus in Hiſpania collectus Diſcipulorum Iacobi la-

De miſſis in Hiſpaniam à Petro, & Paulo Epiſcopis intelligendus Gregorius.

Paulus an venerit in Hiſpaniam. Gelaſius negat. capit. Beatus 12. q. 2.

Qui & quomodo mitti potuerint à Petro, & Paulo in Hiſpaniam Epiſcopi?

bor fuit, qui cum eò Hieroſolymis cum Magiſtri corpore rediјſſent, illo Iriæ Flauiæ tumulato, operam dare Euangelio cæperunt: & ſanè Romam ieiunt, vt à Petro ordinati, & à Paulo inſtituti, ac eorũ authoritate freti in Hiſpania Eccleſias erigerent, & doctrinam Romanam traderent, quemadmodũ graue authores, ac iuxta eos Aegyd. Luſitanus, quem infra citabimus, ſcripſere. Itaque nihil ex his Pontificum Epiſtolis aduerſus Traditionẽ deducitur. Summa eſt: Vtrumque id ſolum velle, vt Primi qui in Hiſpania fuerunt Epiſcopi, ij à Petro & inſtituti, & ordinati, & miſſi cum Epiſcopali dignitate Roma in Hiſpanias fuerint. De quo non contendimus. Imo cõcedimus his duobus Pontificibus, quos oppoſuit Baronius, & Stephano VI. & Concilio Sueſſionenſi, quos nobis obiecimus, Inſtitutiones Eccleſiarum Cathedralium, & Epiſcopales ſedes vnquam niſi à Petro, eiuſque ſucceſſoribus emanaſſe, quo ſenſu qui legitimus eſt, apparet, integram fuiſſe Iacobi Apoſtoli in Hiſpania prædicationem paucis ijs conuerſis, qui poſtea Hieroſolymis cum Apoſtoli corpore redeuntes à S. Petro Epiſcopi ordinati Hiſpaniam repetentes Eccleſias ibi fundarunt.

Quos Iacobus in Hiſpania diſcipulos habuerit?

Non contendimus de Epiſcopis ſed de Iacobi in Hiſpaniam aduentu.

CAPVT XI.

Soluitur Argumentum obiectum ex defectu Authoritatis.

§ I. *Reſpondetur obiectioni petitæ ex teſtimonijs aliorum Pontificum.*

IN hoc argumento deſiderauit primùm Ximenius authorem ſcripturæ ſacræ. Cui nos traditionem obiecimus, quemadmodum de nonnullis, quæ non ſunt in ſacris litteris, rationem à nobis petentibus hæreticis facere ſolemus. Iam ſupra monuimus Ximenium, qui negat, oportere aliquem locum ſcripturæ, quo nitatur afferre; cum præſertim impugnet apertam traditionem; quare nobis, qui tenemus priſcam traditionem, aduerſarius aliquid fortius debet opponere; non eſt autem aliud fortius, quàm ſcriptura, ergo ea contrà erat à Ximenio ponenda. Nullam tamen poteſt producere, igitur cauſa cadat neceſſe eſt. Deinde quæro ex eo, in quo libro, aut parte ſcripturæ legit, *datam fuiſſe poteſtatem Apoſtolo Iacobo in Hiſpania prædicandi?* nuſquam enim hoc in ſacris litteris inuenitur. Legit ille in alio authore, quem ſuo loco indicabo, & proficiam indicando. Quod ſi ad Traditionem recurrat, eadem Traditio addit, cum in Hiſpaniam veniſſe, & in ea prædicaſſe. Truncatam affert, ille tradit traditionem; aut totam ponat, aut totam auferat.

Traditione ſatis tradita comprobâtur

Argmentum ad hominem contra Ximenium.

Baronius, quos authores antea citarat, earum fidem infirmat.

Venio ad Baronium, qui dubius omniũ quos ante produxerat eleuat Authorum fidem, neque Caliſti II. commentarios, neque Leonis III. admittit

ſer-

ſermonem, nec Epiſtolam. Turpinum figmentum putat. Iſidorum, & Bedam Pſeudo Iſidorum, & Pſeudo Bedam appellat; & alios recentiores non curat, ceu commentitios, & à defenſoribus huius ſententiæ obtruſos. Primum; culpare nos Baronius haud ſine iniuria poteſt, quòd hoſce Authores citemus, cum ipſe eos item in notis Martyrologij, quando idem nobiſcum ſentiebat, citauerit. At ille mutauit ſententiam, & authores neglexit, imò & fidem ijs abrogauit. Id quærimus, an iure fecerit? Certè mutaſſe ſententiam Baronium non dixerim: in dubium reuocaſſe conceſſerim. Nimis apud eum valuit Roderici Ximenij authoritas, quem tamen Turpino ſimilem magna ex parte euaſiſſe ſuperius, tot illius deтectis, & productis erroribus monſtraui.

Nimis detulit Baronius Ximenio

Verum volo Baronium modeſtè admonere, non poſſe illum, ſemetipſo authore, quoſdam ex ijs authoribus, quos hic reijcit, contemnere. Atque vt omittam, de quibus ſeorſim ſum dicturus, Pontifices Calliſtum, & Leonem, Inuenio apud Baronium in annalibus in quibus maiorem ſibi haberi fidem cupit, & in eodem primo tomo Annalium, & poſtquam hæc de his authoribus refellendo eos ſcripſit, vnum ex ijs Iſidorum in operibus quæ reiecerat citatum: & inde teſtimonia ad faciendam fidem ſuo iudicio idonea deſumpta: eumque inter grauiſſimos Eccleſiæ Patres collocatum. Dum enim recenſet Patres qui Paulum Hiſpanias adijſſe tradiderint, Iſidorum etiam numerat, & citat librum de vita, & obitu Sanctorum. Verum quidem eſt eum ſe purgare addendo *Iſidorum*, inquit, *aut quiſquis ille eſt author*. Ingenuus ſum

Examinantur ſigillatim authores noſtræ ſententiæ, & probantur.

Iſidorus

ſum fateor, & ille cautus. Sed non elabitur. Nam dum ille ſiue nomine Iſidori, ſiue alio citat, non eius eleuat authoritatem, imo ea illam Patrum confirmat ſententiam: nec Pſeudo Iſidorum vocat, ſed quiſquis demum ſit, eum recipit. Cur ergo reijcit, & cum iniuria, quando authorem aduentus in Hiſpaniam Iacobi facit? Ferat eum, ac eodem modo, quo poſtea citet: dubitet de nomine authoris, libri non detrahat authoritati. Sinat adduci ab Hiſpanis quemadmodum ab ipſo in hoc Annalium loco adducitur. Non multum enim opinor, curant Hiſpani, ſit ne Iſidorus, an alter ſuæ ætatis ſcriptor, dummodo ſit idoneus, cuiuſmodi eum Baronius eſſe putat, dum inter Patres grauiſſimos recenſet. Nec debuit Baronius eum librum tanquam nothum repudiare, cum Bellarminus accuratus, & cognitor librorum, & cenſor, illum, tanquam germanum fœtum agnouerit, vti videre eſt in Catalogo ſcriptorum. Certè illo Iſidoro Authore confirmat hanc rem Mariana in hiſtoria lib. 4. cap. 2. quos ego duos eruditiſſimos viros Baronio fortiter oppoſuerim. Quod attinet ad Bedam video illa collectanea ſuſpecta eſſe: nec audeo Bedæ tribuere; verum, & auferre non audeo; non eſſe tamen contemnenda, patet ex Cenſura Pariſienſi, & Bellarmini in Catalogo iudicio. Do tamen, vt Bedæ non ſint, nego idonei authoris non eſſe. De Turpino haud multum laboro: nec enim opus eſt eo authore ad traditionem, quæ omni fortior eſt authorum teſtimonio ad rem probandam. Et tam ſum procul à reprehendendis Compoſtellano, & Braccharenſi, & cæteris Metropolitanis, quod in Lateranenſi Concilio non refutarunt

Bellarmini authoritate confirmatur Iſidori Fides

Mariana aſſentitur Bellarmino de Iſidoro.

Beda ad examen vocatur.

Recognoſcitur, & approbatur à Pariſienſibus, & Bellarmino.

Turpinus negligitur quod ad cauſam non faciat.

tarunt Ximenium productis authoribus, quod maluit Baronius facere, vt eos potius magnopere laudem, quòd ſolius Traditionis rationem habuerint; qua vna obiecta ſatis ſuperque omnia Ximenij argumenta confutabantur.

Sed iam ad Epiſtolas Leonis III. & Calliſti II. commentarios. Non audeo de illorum fide ambigere. Qui enim integræ epiſtolæ tam aptæ, tamque probabiles illis commentarijs inſertæ cõfictæ ſint? Et quomodo commentarij illi ſatis longi, & eruditi, & ad genium Calliſti facti, eiuſque pietatem ſpirantes ab alio quam ab eo ſcribi potuerunt, aut quomodo incerto authore irrepſere in Vaticanum, & tantum authoritatis habuere? Quid in ijs quæſo eſt, quod aut mendacium, aut ſuperſtitionem oleat? At, inquit Baronius, non illarum meminerunt ij, qui cum Ximenio contendebant; ſi enim eas noſſent, afferrent, ſeque illarum authoritate munirent. Quaſi verò ijs locum dederit reſpondendi Ximenius, cum ab eo præſidia omnia occupata, & erepta competitoribus dicendi poteſtas fuerit. Dicam prius de Calliſto II. quoniam in eius operibus continentur Epiſtola, & Sermo Leonis III. qui ſolitarij nõ inueniuntur. Igitur Baronius in notis ad Martyrologium die 25. Iulij affirmat hos commentarios Calliſti idoneos eſſe, & quod caput eſt iudicio Innocentij II. Profero Baronij verba: *Habentur*, inquit *litteræ Innocentij Papæ II. habentes ſubſcriptionem S. R.E. Cardinalium, qui illis vixere temporibus, quibus eiuſdem Calliſti commentarium comprobatur*. Igitur ſi hoc ſemel reperit Baronius, qui potuit poſtea dubitare? An illud Innocentij in

Leo III. & Calliſtus II. ad calculos reuocantur

Pro fide illorum operum argumenta.

Baronius

Calliſti commentarij confirmantur.

Baronij in Martyrologium rectum de iis iudicium.

Teſtimonium Innocentii II pro Calliſto.

eo cœtu Cardinalium iudicium fidem non facit, aut meretur? Quid, quod idem Baronius addit. momentum adijciens: *Latini vero hac die agunt* (loquitur de ſolenni eius Sancti feſtiuitate) *quando eius venerandum Corpus ex Iria Flauia Compoſtellam translatum eſt: vbi hactenus celeberrimo totius Chriſtiani Orbis officio colitur, vt conſtat ex Apoſtolicis litteris Calliſti Papæ II. quibus etiam expreſſum habetur, vt tertio Kalendas Ianuarij celebretur eius translatio Hieroſolymis facta Galleciam, itemque electio: rurſus, autem vt v. Nonas Octobres ſolennitas agatur, qua recoluntur eiuſdem S. Iacobi miracula.* Et quod mirum eſt Trithemij authoritate idem Baronius paulo inferius hoc Calliſti opus confirmauit, dum ſic *Trithemius*, ait, *de viris illuſtribus dum recenſet Calliſti Papæ commentarios ait illum copioſo ſermone, & maxima diligentia tractatum ſcripſiſſe de miraculis S. Iacobi.* Huc uſque authore Trithemio. Deinde ipſe Baronius de ſuo penu *legimus* inquit *eiuſdem Calliſti nomine de ea re quinque libros digeſtos, quibus continentur miracula eiuſdem Apoſtoli virtute edita, licet, vt conſtat ex ratione annorum numeri, aliqua fuerint ſuperaddita, atque illis admiſta. Habeantur & eiuſdem Calliſti ſermones de translatione S. Iacobi, itemque ea de re Epiſtola.*

Aliud Baronij.

Aliud Trithemij.

Rurſum momentum addit Baronius.

Verùm dixerit hoc Baronius in notis ad Martyrologium. In annalibus tamen cecinit palinodiam. Nego nam 1. tomo Annalium, quod pulcherrimum eius operum eſt, Anno 44. dicta prius in notis affirmat, iiſque ſtandum eſſe confirmat. *Quod vero* inquit *ad ipſum Iacobum pertinet, cum Hiſpaniarum Eccleſiæ omnes ex æquo profiteantur*

Baronius noſter eſt.

Illuſtris eius in Annalibus ſententia.

eun-

eundem Apoſtolum antea in Hiſpanias eſſe profe-ctum, illicque primum prædicaſſe Euangelium, & aliquot collegiſſe diſcipulos: nihil amplius, quod de ea re dicamus habemus, quam quæ ſunt à nobis in Martyrologio Romano notata, quæ conſulat, qui hæc cupit.

Quod ſi quis obijciat Baronium poſtea mutaſſe ſententiam, & hac demum ſtandum eſſe, quoniam poſteriora conſilia meliora, ad idque perſuadendum, verba, quæ habet tomo 9. Annalium longè poſt ſcripto, quæ nos ſupra adduximus proferat: quibus Anno 816. num. 50. proſcribit Calliſtum, Leonem, Iſidorum, Bedam, & Turpinum de Iacobo Apoſtolo ſcribentes, ceu nothos authores, opponemus Baronio poſteriori vltimũ Baronium, atq; adeo maturiorem, & doctiorem: tomo 12. anno 1121. num. 4. vbi ſcribit: illud opus Calliſti à ſe tomo 9. improbatum, legitimum eius fœtum eſſe. Referens quippe particulam hiſtoriæ Vuilielmi Malmesburienſis ad probandum Calliſti Papæ erga S. Iacobum ſtudium, narrat eum conceſſiſſe Anglis Compoſtellam inuiſendi, & colendi ergò S. Iacobi ſepulcrum euntibus, pares indulgentias, ijs quas lucrarentur, ſi Romam ad Limina Apoſtolorum veniſſent. Igitur ſic Vuilielmus. *Adeo vt Anglos peregrinos magis ad ſanctum dictum Iacobum Compoſtellanum videlicet, quàm Romam pergere admoneret, pro via longitudine ad illum locum bis euntibus idē benedictionis refundendũ commodum, quod habent, qui Romam ſemel irent.* Hactenus Vuilielmus. Tum Baronius. *Fuit planè Calliſtus ſtudioſiſſimus S. Iacobi Compoſtellani, & de eius miraculis volumen confecit, quorum non* nulla

Occupatur & remouetur obiectio.

Baronius ſibi ipſi opponitur.

Vuillelmus Malmesburienſis.

Baronius noſtræ ſuffragatur ſententiæ

nulla recitat in ſuo ſpeculo hiſtoriali Vincentius Bellouacenſis. Ecquis non miretur Baronium hic recognoſcere, & approbare librum Calliſti, quem antea tomo 9. improbarat, & reiecerat? Magna vis veritatis eſt, in quam demum nec opinantes compellimur. Itaque ſiue Baronium iuuenem, ſiuè ſenem ſequamur, Calliſti opera recipiemus, nec ipſe nos vituperare poterit, ſi eundem ter ita ſentientem eidem ſemel aliter opinanti anteponamus. Cum præſertim ille in notis ad Martyrologium hunc librum authoritate Innocentij Papæ II. munierit his verbis proximè adductis, quæ rurſum afferimus. *Item littera Innocentij Papæ II. habentes ſubſcriptionem S. R. E. Cardinalium, qui illis vixere temporibus, quibus eiuſdem Calliſti commentarius comprobatur.* Quod teſtimonium ille dum ab ea receſſit ſententia infringere debuiſſet. At integrum reliquit. Ei nos igitur adhæremus.

Iudicium Seuerini Binii de Calliſti opere præclarum.

Cum præſertim in vita Calliſti II. quæ habetur tomo 3. Conciliorum part. 2. in Collect. Binij ita ſit ſcriptum. *His rebus præclarè geſtis Pontifex de Eccleſia optimè meritus multis præclaris conſtitutionibus, quæ in Decreto Gratiani recitantur, & quodam opuſculo de S. Iacobo in lucem edito clariſſimus migrauit ad Dominum.*

Leonis III. ſcripta, & ſermones excutiuntur.

Quod attinet ad opera Leonis III. illa ſunt ſermo, & Epiſtola, quæ habentur in lib. 1. operum Calliſti, quæ dum probat, vti proximè diximus Baronius, hæc duo ibi contenta, & Leoni III. attributa improbare nequit. Tum in epiſtola, tum in ſermone perſpicuè, & ſæpiſſimè confirmatur Iacobi aduentus in Hiſpaniam, & ibi eiuſdem prædicatio: & quidem Baronio authore, quem

Baronius ijs fauet.

ſibi

ſibi ſemper oppoſitum volumus; vt maior ſit vis argumenti retorti, quam directi. De litteris conſtat. In Martyrologio enim ſic. *Habentur litteræ Leonis Papæ III. de translatione S. Iacobi in Hiſpaniam facta* 3.*Kalend.Ianuarij.Eſt earum exordium Noſcat fraternitas Veſtra*. de ſermone Leonis nihil ibi habet Cardinalis, ſed cum in eodem libro Calliſti reperiatur, eiuſdem cum litteris fidei ſit oportet. Et quidem veriſimile eſt in tam mira, & celebri inuentione corporis S. Iacobi, eo Pontifice reperti, ſermonem ea de re ad populum habitum fuiſſe; ſed quoniam de ſermone tacuit Baronius, & nonnulli negant Leonis III. eſſe, quod malunt Leoni IV. aſſignare, quamuis non multum interſit, modò vnius eorum ſit, vtrius authoris fuerit, volo tamen ei fidem facere magni viri authoritate, ideſt Ioannis Grimaldi Archiuio Vaticano præfecti, Baronij coætanei, & familiaris, qui libro ſuo de ſelectis Pontificum rebus, dicato Cardinali Cobellucio ſermonem hunc Leonis III. integrum cum litteris inſerit, eumque illi adſcribit, & in Dedicatoria ſic: *Ex dictis* inquit *colligitur Leonem III deuotiſsimum fuiſſe glorioſiſsimi Apoſtoli Iacobi, quem diuina procurante gratia patronum ſuſceperat*. Deinde *Reperitur* ait *inſraſcriptus ſermo à Calliſto II. annis iam proximè quingentis in antiquiſsimo codice de vita, & miraculis S. Iacobi maioris relatus, qui quidem liber ab ipſo Calliſto editus, & forſan ſingularis in bibliotheca Vaticana Baſilica pretioſis libris hodie extat*. Et quoniam hunc ego authorem vice Baronij adduxi, oportet monſtrare Baronium ei aſſentiri. Igitur in eadem dedicatoria. *Hunc ſermonem* in-

Ioannis Grimaldi calculus pro ſermone Leonis III.

Baronij cum illo conſenſio.

quit

quit *à Leone III. editum ob doctrinam, & pietatem ſatis commendabat Card. Baronius*. Semper Baronium eorum quæ probare volumus authorem habemus.

Argumenta ex Hormiſda & Concilio Toletano, & Braccharenſi deſumpta.

Et quoniam adiecit Baronius in Epiſt. Gregorij VII. quam attulit ad infirmandam ſententiam de aduentu S. Iacobi in Hiſpaniam illa verba vltima, quæ nouas impugnationes continent, oportet ea expendere. Clauſula eſt. *Quod Hormiſda ad Hiſpalenſem miſſa decreta inſinuant, quod Toletanum, & Bracharenſe demonſtrant Concilia*. Hic igitur videntur tria aduerſus noſtram ſententiam teſtimonia, & quidem grauiſſima contineri. Vnũ *Hormiſdæ*. Alterum *Concilij Bracharenſis*. Tertium *Concilij Toletani*. Quæ cum poſt Innocentij Epiſtolam proximè allatam referantur, apparet negare hos Patres, cum Innocentio, Iacobum Hiſpanias petijſſe. Et quamquam ſuperius ſatis pro re dictum ſit, oportet hic de nouo, quoniam cum Baronio de fide incitandis authoribus contendimus, horum teſtimonia examinare; & an contra nos, & an ſecus ſint, accuratius inquirere.

Decreta Hormiſdæ ad examen vocantur.

Primus eſto Hormiſdas. Videamus quid ille dicat in decretis miſsis ad Hiſpalenſem Epiſcopum. Fateor quidem hactenus à me non potuiſſe inueniri hæc decreta Hormiſdæ; imo ne vllam quidem epiſtolam ad Hiſpalenſem Epiſcopum, cum tamen multum hac in re ſtudij poſuerim. Reperi vnam ad omnes Hiſpaniæ Epiſcopos, quæ eſt 25. & aliam ad eoſdem quæ eſt 51. ſed datã ab eo ad Hiſpalẽſem Epiſcopum nullam inueni. Garcias Loayſa in notis ad Concilium Gerundenſe, apud Binium, ait ſe in collectione ſua decreta-

Garcias Loayſa

lium

lium poſuiſſe Epiſtolā vnam Hormiſdę ad Ioānem Tarraconenſem Epiſcopum, qui præfuit Concilio Gerundenſi, atque hic fortaſſe eſt de quo mentionem facit Hormiſdas in Epiſtola 51. dum ait: *Ioannes Frater Coepiſcopus noſter*. Illud affirmo ex Epiſtolis Hormiſdæ apparere illum mire obſeruantem, & religioſum cuſtodem eſſe traditionum, & inſtitutionum Romanæ Eccleſiæ, & magnopere commendare illarum obſeruantiam, & cuſtodiam, idque ex ipſiſmet litteris ad illos Hiſpaniæ Epiſcopos conſtare, atque huius exortationis multa in alijs epiſtolis eſſe documenta. Nam in ſingulis penè, quas ad Epiſcopos ſcribit, tertio quoque verbo eius rei mentio inuenitur. Exemplum eſt in ea, quam ſcribit ad Salluſtium conſtitutum vicarium per Bæticam, & Luſitaniam, quæ eſt 26. & in hoc argumento tota verſatur. Summa eſt. *Paternas* inquit *Regulas, & decreta à ſanctis definita Concilijs omnibus ſeruanda mandamus*. & epiſt. 25. *Cuſtodiamus Catholica inſtituta*: & tota eius ſeries his mandatis conſtat: vt huic Pontifici is videatur finis conſtitutus. Ac proinde frequentia fieri iubet Concilia in quibus de obſeruantia illarum Apoſtolicarum, & Paternarum inſtitutionum tractetur. Verum nihil omnino in hiſce epiſtolis inuenitur, quod Iacobi Apoſtoli prædicationi officiat. Imo ne vllum quidem de Petri, & Pauli in eam Prouinciam, vel profectione, vel legatione verbum occurrit. Itaque niſi Gregorij tempore alia extabat Epiſtola, in his quas legimus nulla de Petro, & Paulo, vel ab alijs miſſis Epiſcopis fit mentio. Quod ſi fieret, ea ad accipiendas regulas iſtas, & normas Eccleſiaſti-

Seuerinus Binius.

Concilium Gerundenſe.

Epiſtola Hormiſdæ ad Epiſcopum Hiſpalenſem nō potuit ab authore reperiri

Hormiſdæ in ſeruanda, & tuenda Eccleſiaſtica diſciplina ſtudium

Litteræ Hormiſdæ ad Salluſtium Vicarium in Bæticam, & Luſitania.

Hormiſda iubet frequenter cogi Concilia.

Nihil contra Iacobi in Hiſpania prædicationem.

ſiaſticæ diſciplinæ dicta Pontificis pertinerent; nam hic in ſua epiſtola poſt quam de miſſis in Hiſpaniam à Petro, & Paulo Epiſcopis, & plantata ab ijs religione egit: ad diuini officij, & eccleſiaſtici cultus documenta diuertit. Quod nos minimè inficiamur, imo cum Innocentio I. faſsi fuimus diſtinguentes inter prædicationem Euangelij, & inſtitutionem Eccleſiarum, & Epiſcoporum conſecrationem, & traditam ab ijs eccleſiaſticam doctrinam. Quod eſt argumentum illius epiſtolæ Gregorij, & in hanc mentem trahit Hormiſdam: quòd ſciret eum acerrimum eſſe harum traditionum aſſertorem, & cuſtodem.

Gregorii 7. cum Hormiſda conſenſio.

§. II.
Soluuntur Obiecta ex Concilijs.

Veniamus ad Concilia. Nominat Gregorius in ea Epiſtola duo Toletanum, & Bracharenſe, ſed numerum omiſit, & nos reliquit ambiguos, de quonam loquatur Concilio? Igitur legenda omnia mihi fuerunt. Ac primum de Toletano, quod primum ab eo nominatur, dicam. Víque ad Tempora Gregorij VII. qui floruit anno 1073. Concilia Toletana (loquor de ijs quæ ſunt in Canone) xviij. celebrata inuenio. Incipiamus à 1. quod habitum fuit anno 400. Anaſtaſio Papa, Arcadio, & Honorio Imperatoribus. In eo 20. ſunt canones ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinentes. Nullus eorum quicquam ad inſtitutum Gregorij pertinet. In regula Fidei, quæ eſt adiuncta, nulla niſi de credendis articulis mentio aduerſus Priſcillianiſtas. Adijcitur

Inſpiciuntur, & recognoſcuntur Concilia.

Omnia Toletana author examinat.

Concilium Toletanum 1

citur in exemplari Profeſſionis Epiſcoporum ad finem, quod ad cauſam Gregorij facere poteſt, & cum de cæteris egero Concilijs proferam; ſecundum cum iſto primo ita confunditur, vt vix ab eo diſtinguatur, atque adeo ad primum redit. Eò reuertemur, cum reliqua abſoluemus.

II. Toletanũ ex aliud à primo, ſeorſim ab eo non ponitur.

Secundum Concilium, ſic dicitur à Binio, & Loayſa, incidit in tempus Bonifacij Secundi, anno Domini 531. Eius quinque canones ſunt: in nullo eorum mentio eſt de miſsis Epiſcopis, aut Eccleſijs ab ijs in Hiſpanias erectis. Omnia ad morum doctrinam ſpectant.

II. iuſtum, & germanum.

Tertium, ac celeberrimum Papa Pelagio II. Rege Reccaredo. Anno 586. In eo ſtatuitur veritas Niceni Concilij aduerſus Arium, & iſte cum ſuis erroribus damnatur, & Fidei catholicæ iuxta Oecumenica Concilia fit profeſſio. Illud videtur rem Gregorij continere, quod 1. canone ſtatuitur *Vt permaneant in ſuo vigore Conciliorum omnium conſtituta, ſimul & ſynodicæ ſanctorum Præſulum Romanorum epiſtolæ.* Atque hæc obſeruatio antiquorum Canonum magnoperè commendatur. Nihil reliquum eſt, quod detrahat prædicationi, nec de Eccleſijs vlla fit commemoratio.

III. Canon producitur.

Concilium ſequens, IV. ego dicerem, ſed numero caret, tempore Bonifacij IV. & Regis Gundemari Anno 610. congregatum, ſuper Primatu habitum eſt. De cæteris ſilentium.

Toletanum Concilium præter numerum.

Igitur Concilium IV. Anno 638. Honorio Papa I. & Siſenando Rege inſigne extitit, & quoniam ad hoc præcipuè reſpexiſſe puto Gregorium VII. nunc prætermitto: ad illud rediturus.

IV.

V. Concilij eodem Honorio Pontifice, & Chin-

V. Canones IX.

tillano Rege Anno 636. nouem canones vacui ſunt prorſus eo, quod in Gregorij Epiſtola cōtinebatur.

VI. Canones xix. VI. Concilij ſub eodem Rege Chintillano, & Papa Honorio Anno 636. decemnouem canones ſunt, omnes ea de re ſilent. De fide, ac moribus loquuntur.

VII. Canon. vi. In VII. quod in tempus Theodori Papæ, & Chindaſuindi Regis incidit materies longè diuerſa tractatur. Ea in ſex canones diſtribuitur; omnes doctrinæ ſunt pleni; ſed morum. Nihil autem habent cum illa, quam aſſerit ex Gregorio *Baronius*, commune.

VIII. Can. xii. VIII. Illuſtre ſanè extitit Martino Pontifice, & Receſuintho Rege Concilium anno 653. duodecim canones comprehendens: in quibus de Fide catholica, de inſtitutionibus Clericalis ordinis, & correctione vitiorum in eum irruentium, & citra mentionem illius Epiſcopalis in Hiſpaniam miſſionis agitur.

ix. x. illud xvii. hoc vii. Canones habuit. Duo Concilia IX. & X. ſub Vitaliano Papa, & Receſuintho Rege Anno 655. & 656. celebrata eiuſdem ſunt argumenti. Illud decem & ſeptem, iſtud ſeptem Canonibus conſtat. Varia ad reformationem diſciplinæ, ac morum documenta tradunt, ſine vllo ad erectionem Eccleſiarum reſpectu.

XI. Rege Vuamba quid in eo decretū XI. Toletanum cadit in tempus Adeodati Pontificis, & Regis Vuambæ anno 675. Præclara, eius initio, Fidei ſecundum doctrinā quatuor Proximorum Conciliorum profeſſio habetur. Articulo quintodecimo multas benè inſtituendæ Eccleſiaſticę Reipublicę regulas exhibet; in tertia antiqua decreta ſeruari iubentur, ſed ea nominantur, quæ ſunt nationalia. De ſede Romana ſermo

nullus

nullus. Epiſcoporum inter ſe, & cum Metropolitaco conſenſio commendatur.

In XII. Concilio, eſt, quod pertinet ad Epiſtolam Gregorij, itaque nunc de eo dicere abſtineo, & in ſuum locum reſeruo. XII. ad rem pertinet.

XIII. Concilium Toletanum totum verſatur in Fide profitenda, & in vitijs corrigendis. Habitum Leone Secundo Pontifice, & Eruigio Rege. Duodecim canones continet. XIII. Canones xii.

XIV. Concilium Anno 684. Benedicto Secundo Pontifice, ac Eruigio Rege congregatum, canones duodecim de Fidei profeſſione ſecundum priſca concilia edidit. XIV. Canones xii.

XV. Concilij duæ ſunt partes: in prima Fidei Trinitatis profeſſio exponitur, & defenditur. In ſecunda liberatur Rex Egica à iuramento præſtito Regi Eruigio defuncto, quòd iſtud alteri ſolemni iuramento, quod cum Regnum inijt Reipublicæ exhibuit, erat contrarium. Ita Reſpublica Regiæ domus vtilitati antepoſita. Annus Concilij fuit 688. tempus Sergij Pontificis, & Regis Flauij Egicanis. XV. bipartitum.

XVI. Tres partes habet. Prima confeſſionem illuſtrem myſterij Trinitatis. Secunda decretum de reformatione. Tertia commendationem fidelitatis erga Regem Flauium Egicanem, & damnationem Siberti Toletani præſulis ob coniurationem aduerſus Regem, qui ob eam deponitur, & proſcribitur, & eius loco Felix Hiſpalenſis Epiſcopus ſufficitur. Incidit hoc Concilium in annum 693. tempore Sergij Papæ, & Regis Flauij Egicæ, ſiue Egicanis. XVI. tripartitum.

XVII. Verſatur in ritibus Eccleſiaſticis afferen-

XVII. de Eccleſiaſtica diſciplina, de negotiis Regiis, & Iudæorum punitione.

dis in Rege, & eius Regia familia laudanda, & Deo commendanda, & munienda, & Iudæorum auſibus coercendis, ijsque ad meliorem frugem reducendis. Celebratum fuit Rege Flauio Egicane, Sergio Papa Anno 694.

XVIII. ſolū argumentum extat.

Concilij XVIII. exemplar non extat. Illud de eo ab Roderico Toletano ſcriptum accipimus, ſuper ordinationeRegni celebratum. Annus fuit 710. Papa Ioanne VI.

Ximenius

Enumeratis Concilijs, ac eorum inſpectis accuratè, & relatis fideliter argumentis, apparet, de tribus tantum poſſe intelligi Gregorium VII. in Epiſtola. Videamus ergo, vtrum aduerſus noſtram quæ communis eſt, & certa prorſus ſententia, in ijs quicquam inueniatur.

Atque vt à proximo incipiamus. In Concilio XII. can.4. maiorum inſtitutiones præcipiuntur ſeruari, & cuſtodiri. Deinde de ordinandis Epiſcopis iuxta doctrinam Pauli in Epiſtola ad Titum, & Concilij Niceni, Laodiceni, & Africani 11. illud ſolum ſtatuitur, *vt in vna Ciuitate vnus tantum Epiſcopus ſit, & Diœceſes, quæ nunquam habuerunt Epiſcopos, ijs careant, & Diœceſes, quæ habuerunt, habeant.* In hanc ſententiam adducuntur exempla aliorum Conciliorum. Et intra hos terminos hæc doctrina definitur. Atque adeo de iſto Concilio locutum non fuiſſe Gregorium patet, niſi ſi voluit reſpicere ad illud, quod obiter dicitur eo in canone. Paulum præcipere Tito *vt Epiſcopos per Ciuitates conſtituere debeat.* Sed cum hic nihil adijciatur de Petro, non eſt veriſimile de hoc Gregorium Concilio cogitaſſe.

Expenditur in rem noſtrā Concil. XII.

Ad Titum

Nihil nocet noſtræ ſentētiæ.

Adeamus IV. Concilium: quod puto ante oculos

los Papam Gregorium, cum illam particulam adſcripſit de Toletano Concilio, habuiſſe. Canone quinto, vel ſexto, pro diuerſis editionibus, agitur de Sacramento Baptiſmi his verbis: *Proinde quid à nobis de Sacramenti diuerſitate faciendum ſit Apoſtolicæ ſedis informemur præceptis: non noſtram ſed paternam inſtitutionem ſequentes. Beatæ ergo Memoriæ Gregorius Romanæ Eccleſiæ Pontifex, qui non ſolum partes Italiæ illuſtrauit, ſed & longè excellentes Eccleſias ſua doctrina perdocuit, efflagitante Sanctiſſimo Leandro Epiſcopo de hac Hiſpaniæ diuerſitate, quid potius eſſet ſequendum, ſic ait. De trina vero merſione (quæ erat quæſtio) baptiſmatis nihil reſponderi verius poteſt, quàm ipſi ſenſiſtis, quia in vna fide nihil officit ſanctæ Eccleſiæ conſuetudo diuerſa.*

Producitur IV. Conciliũ Gregor. Magnus.

Leander Trina merſio in Baptiſmo.

Canone 16. ſtatuitur recipiendum eſſe librum Apocalypſeos, *quia multorum Conciliorum, & ſynodica ſanctorum Præſulum Romanorum decreta Ioannis Euangeliſtæ eſſe præſcribunt.* Hi duo Canones cum referantur ad doctrinam Pontificum Romanorum, videntur ad rem Gregorij Pontificis volentis Hiſpaniæ Epiſcopos ad formam diſciplinæ Romanæ reducere, pertinere. Sed quid inde contra D. Iacobi in Hiſpania prædicationem colligi poſſit, non apparet.

Canon de recipiẽdo libro Apocalypſeos.

Nil detrahitur de traditionis veritate.

Verum ne iſtud quidem Concilium mouere potuit Papam Gregorium ad proferendum pro ſua illa de Epiſcoporum, & Eccleſiarum Apoſtolica inſtitutione teſtimonium. Cum nulla hic mentio ea de re facta legatur.

Igitur conſtat de illo Concilio Toletano ſermonem eſſe, quod multi non diſtinguunt ab illo

primo

primo celebrato tempore Anaſtaſij, in quibus ſunt duo grauiſſimi auhores Hiſpani Ambroſius Morales, & Garcia Loayſa, contra quos ſentit Baronius, & Binius, quibus ego aſſentior, nam illud primum ſub Anaſtaſio factum: iſtud ſecundum ſub Innocentio I. habitum eſt, niſi velimus dicere illud primum Concilium in annum ſequentem productum; ita vt ad Innocentium I. peruenerit; vtcunque ſit de iſto ſecundo Concilio nihil extat certum; nec illud affertur, aut à Loayſa, aut à Binio qui tomo 1. Concil. poſt Innocentij Epiſtolas inter alia, quorum ſummam texit, Africana Concilia hoc quoque Toletanum nominat: eiuſmodi præfixo titulo *Toletana Synodus ſub Innocentio*. Quod quidem argumentum eſt eã Synodum fuiſſe diuerſam, cum ad illam Innocentius Epiſtolam ſcripſerit, quæ eſt 23. Ex qua conſtat de qua ſit ea Synodus re inſtituta, nimirum de ordinatione Clericorum, de cuius forma, & modo in Hiſpania erat diſſidium, quod in ſchiſma eruperat. Cum hoc igitur munus ordinandi ad Epiſcopalem curam pertineret, & Epiſcopi de eo minimè conuenirent, coegerunt Concilium, vt ea diſſenſio tolleretur. Patribus igitur iam congregatis ſcripſit illam epiſtolam Innocentius, in qua deprehenditur Synodi materia, & traditur ab Innocentio ratio, quam ſequi deberent in ordinando. Quæ omnino ad maiorum inſtitutiones erat reuocanda: tanquam ad certam regulam normamque præſtitutam. Audiamus Innocentium: ille nos docebit quàm hæc doctrina faciat ad cauſam Gregorij, nec tamen noſtræ officiat. Igitur, *Sæpe me, & nimium cum teneret cura ſollicitum ſuper diſſenſionis ſchiſ-*

Ambr. Mor. Garc. Loayſa Baronius Binius

De I. Concilio Toletano Concilio inter hos authores diſſenſio.

Innocent. I.

Duo fuiſſe Concilia vnũ ſub Anaſtaſio alterum ſub Innocentio contra Morales, & Loayſam ſtatuitur.

Materies II. Concilii Toletani diuerſa à I.

ſchiſmate Eccleſiarum, quod malum per Hiſpaniãs latius in dies ſeparationis gradu incedere fama proloquitur, neceſſarium tempus emerſit, quo non poſſit emendatio tanta differri, & deberet congrua medicina prouideri. Nam de ordinationibus, quas praua conſuetudinis vitio Hiſpanienſes Epiſcopos celebraſſe cognoſcimus, fuerat aliquid ſecundum Maiorum traditionem ſtatuendum, niſi perpenderemus ne perturbationes quamplurimas Eccleſijs moueremus, quorum factum ita reprehendimus, vt propter numerum corrigendorum, ea quæ quoquo modo facta ſunt non in dubium vocemus, ſed Dei potius dimittamus iudicio. Decreuit deinde quid agendum ſit, ex Concilij, & Patrum ſententia. Hic ergo inuenimus curam Paſtoralem communem Pontificis Romani ad omnes Eccleſias extendi, & Epiſcopos ad illam pertinere: ijſque formam ordinandi ab Romano Pontifice præſcribi, & ab eo perperam facta reprehendi, quæ omnia indicant Epiſcopalia munera ad Romanam amuſſim eſſe reuocanda. Hoc autem rem continet Gregorij VII. qui volebat Eccleſiarum illarum Hiſpaniæ officium ad regulam, & normam Romanam redigere, & aptè monebat Reges illos ad quos litteras dabat, omnia quæ ad cultum, & Religionis vſum pertinebant Roma, vnde venerant Epiſcopi, accepiſſe. Id autem huius exemplo Concilij confirmauit. Cui Innocentij I. ordinandi leges ex maiorum traditione præſcripſit. Ex quo item conſtat nihil eo ſententiæ noſtræ detrahi, quæ tantum agit de doctrina Fidei, & prædicatione Euangelij: non de conſtitutione, ac diſciplina Eccleſiaſtica.

Innocentii I. Epiſtola.

De vitiis quę in Hiſpania ordinãdo Epiſcopos accidebant.

Iis Innocentius tentat occurrere.

De hoc Concilij eget Gregorius VII.

Cum eo ſtat doctrina tradita de aduẽtu Iacobi,

Pergo venire ad Concilia Braccharenſia. Tria

ſunt

ſunt apud Seuerinum Binium ante Gregorij VII. tempora quorum primum ponit Binius Anno Chriſti 563. Ioanne Papa III. Verum aliud fuiſſe antiquius tẽpore Leonis Papæ III. anno incerto, ferme 410. monſtrat Frater Bernardus de Britto Hiſtoriographus inſignis Luſitanus in 2. p. Monarch. Luſit. l. 2. quod agnoſcit, & probat Spondanus Anno 563. additamento ad Baron. Barboſa De officio, & poteſt. Epiſcopi 1. p. tit. 3. cap. 8. & Rodericus à Cugna in 1. lib. Archiepiſc. Bracchar. in Pancratiano; ac illud idem producunt Antonius Caracciolus in tract. de Sancto Iacobo: & Magiſter Biuar, in commentar. ad Flau. Dextr Anno 423. & Erze Ximenez in Hiſt. Sancti Iacobi p. 1. tract. 2.

Britta

Spond.

Barboſ.

A Cugna

Caracciol.

Biuar.

Erze Ximen.

Incipiamus ab hoc. Quatuor illud capitibus conſtat. Omnia in eo argumẽto verſantur, quod ſpectat ad tuendam cauſam Catholicæ Fidei contra Alanorum, Sueuorum, Vandalorumque errores, quos ſpargebant, & ſæuitiam quam aduerſus Chriſtianos, & Catholicos exercebant: ac nihil commune habent cum cauſa Gregorij VII. Imo in 3. cap. aduentus in Hiſpaniam Iacobi Apoſtoli perſpicuè affirmatur. Quo nomine citari non potuit à Gregorio, quem omnino latuiſſe hoc videtur Concilium.

Ex alijs omiſſo nunc primo, quod in ſuum locum reſeruo. Secundum (ordinem Binij ſequor) quædam habet ad diſciplinam Eccleſiaſticam pertinentia, ſed aliena ab inſtituto Gregorij; nec enim ex ijs quicquam trahi ad cauſam poteſt. Incidit vero iſtud Concilium in tempus Ariamiri, ſiue Mironij Regis, vt vocat Loayſa in notis, & annum ſalutis 672. vacante, mortuo Ioanne III. ſede

Loyoſa

Ro-

Romana, quare ad ſecundum reſpicere noluit Papa Gregorius.

In III. Congregato Anno Chriſti 675. Adeodato Pontifice, Rege Vuambano, vti habetur in fronte Concilij, quidam inter alios (nouem ſunt numero) Canones de Euãgelica, & Apoſtolica doctrina, & conſuetudine Eccleſiæ agunt, ad cuius amuſſim volunt redigi ſacramentorum adminiſtrationem, & ritus Eccleſiaſticos: ſed nullus fit ad inſtitutionem ab Epiſcopis acceptam reſpectus: neque vlla de illorum in Hiſpanias à ſede Apoſtolica miſſione commemoratio. Itaque rem Gregorij Canones illi non continent. Quare de primo apud Binium, ſecundo apud Britum Concilio agẽdum eſt, & accuratè inquirendum. An illud faciat ad cauſam Gregorij VII. & noſtræ ſententiæ aduerſetur? Hoc igitur Concilium celebratum fuit anno Domini 563. ſub Ioanne III. Papa, & Rege Theodomiro Sueuo. Fuitque Prouinciale. Adfuerunt octo Epiſcopi. Lucretio vno eorum Præſule Braccharenſi. Habet iuſtum exordium, & Canones 22. Ad hoc ſine dubio reſpexiſſe videtur Gregorius VII. nam in eo multa faciunt ad eius cauſam probandam, non ſolum de Eccleſiaſticæ diſciplinæ normis, ſed etiam religioſæ, & Catholicæ doctrinæ regulis à ſede Romana acceptis. Quod & ſi quidam Hiſpanorum negant, qui ad ritus tantum, & formam celebrandi officij Eccleſiaſtici capitula citata, & producta ex Romanæ ſedis inſtructione reſtringunt, non videtur poſſe negari ad Religionen, & doctrinam Fidei extendi; non tamen ex eo ſequitur Hiſpaniam accepiſſe primum fidei, & Euangelij prædicationem ab

III. affertur & nouem illius Canones expenduntur.

Omnès alio ſpectant: quæſtionem minime continent.

Examinatur Braccharen. I. Concilium in ordine Binij.

Lucretius præſes in eo Concilio: Canon. illius xxij.

Actum in eo de Eccleſiaſtica diſciplina, & doctrina Fidei.

Ad hoc reſpexit Gregorius

Nihil officit Traditioni

Leo I. Turibius

Epiſcopis eò miſſis; nec enim hoc in capitulis continetur: nec ea quicquam de prima Hiſpanorum inſtitutione, ac diſciplina continent. Diſertè enim agunt contra hæreſim Priſcillianicam, aduerſus quam proferunt capitula miſſa, cum illa maximè vigebat in Hiſpania à Leone I. Papa per Turibium, quæ capitula probantur, & aſtruuntur, quod *ijs aiunt priſtina Sanctorum Patrum inſtituta panduntur*. Et hoc perſpicuè initio Concilij viſitur. Ad idque pertinent decem, & octo capitula ſeu canones, in prima parte Concilij poſiti. Conſtat autem hoc ex ipſomet exemplari, quod huc transfero: vt appareat nihil inde deduci ad firmandam ſententiam de accepta prima Religione à ſede Romana, nec de Epiſcopis in Hiſpanias miſſis: quamquam hæc ſecunda pars à nobis minimè improbatur. Sed de illo tamen hic agi inficiamur, & monemus Hiſpanos nihil ex huius doctrina Concilij colligi poſſe, nõ modo ad oppugnandum noſtrã de Iacobo ſentẽtiã, ſed ne quidẽ ad perſuadendum Gregorium VII. in ea ſua Epiſtola voluiſſe de doctrina accepta ab ijs primis Epiſcopis hunc locum Concilij intelligere: cum is rem minimè contineat. Igitur in eo Concilio. *Lucretius* Epiſcopus dixit. *Prius ergo de ſtatu fidei (ſicut ſuperius dictum eſt) conferamus. Nam licet iam olim Priſcillianæ Hæreſis contagio in Hiſpaniarum Prouincijs detecta ſit, & damnata, ne quis tamen per ignorantiam, aut aliquibus, vt aſſolet, ſcripturis deceptus apocryphis, aliqua adhuc ipſius erroris peſtilentia ſit infectus, manifeſtius ignaris hominibus declaretur, quia ipſi in extremitate Mundi, & in vltimis huius Prouinciæ finibus conſtituti, aut exiguam, aut penè nullam*

Quorundam Hiſpanorum authorum de materia huius Concilij ſẽtẽtia cõfutatur.

Producto textu.

Hæreſis Priſcillianica.

nullam

nullam recta eruditionis partẽ contigerunt. Credo autẽ veſtra beatitudinis fraternitatem noſſe, quia eo tempore quo in his regionibus nefandiſſima Priſcilliana ſecta venena ſerpebant, beatiſſimus Papa Vrbis Romæ Leo, qui quadrageſimus fere Apoſtoli Petri ſucceſſor extitit, per Turibium notarium ſedis ſuæ, ad ſynodum Gallicia contra impiam Priſcillianæ hæreſis ſectam ſcripta ſua direxit. Cuius etiam præcepto Tarraconenſes, & Carthaginenſes Epiſcopi, Luſitaniæ quoque, & Bæticæ facto interſe Concilio regulam Fidei contra Priſcillianam Hæreſim cum aliquibus capitulis conſcribentes ad Balconium tunc huius Bracharenſis Eccleſiæ præſulem direxerunt. Vnde quia & ipſum præſcriptæ fidei exemplar cum ſuis capitulis præ manibus hic habemus, pro inſtructione ignorantium (ſi veſtræ placet Reuerentiæ) recitetur.

Leo Magnus Priſcillianicę hęreſeos euerſor.

Concil Hiſp. aduerſus hæreſim Priſcil.

Balc. Bracch.

Omnes Epiſcopi dixerunt: Valde neceſſaria horum capitulorum eſt lectio, vt dum ſimplicioribus, quibuſque priſtina Sanctorum Patrum inſtituta panduntur, abominata iam olim à ſede Sanctiſſimi Petri Apoſtoli, & damnata Priſcillianæ hæreſis figmenta cognoſcantur.

Capitula cõtra hæreſim Priſcill.

Lectum eſt exemplar Fidei cum capitulis ſuis, quæ ne prolixitatẽ facerent his geſtis minimè ſunt inſerta.

Poſt lectionem capitulorum omnes Epiſcopi dixerunt: licet lectio neceſſariè recenſita ſit, tamen euidentius, & ſimplicius ea, quæ ſunt execrabilia, ita poſitis etiam capitulis modo declarentur, vt qui minus eſt eruditus intelligat: & ſic ſub Anathematis ſententia exploſa, iam Priſcillani erroris figmenta damnentur, vt quiſquis Clericus, vel Monachus, ſiue Laicus, tale aliquid ſentire adhuc, vel defendere fuerit deprehenſus, tanquam verè purè mem-

Anathema Priſciallianiſtis dicitur.

brum; continuò de corpore abſcindatur Catholicæ Eccleſiæ, ne aut ſocietatis, ſiue prauitatis eius macula à rectè credentibus de permixtione talium aliquod orthodoxis reputetur opprobrium.

Propoſita contra Priſcillianam Hæreſim capitula relecta continent hæc.

CAPITVLVM I.

Confeſſio Fidei.

SI quis Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum non confitetur tres perſonas, vnius ſubſtantiæ, & virtutis, ac poteſtatis, ſicut Catholica, & Apoſtolica Eccleſia docet, ſed vnam tantum, & ſolitariam dicit eſſe Perſonam, ita ut ipſe ſit Pater, qui Filius, ipſe etiam ſit Paracletus Spiritus, ſicut Sabellius, & Priſcillianus dixerunt, anathema ſit.

Hæc pars ad Fidei, & Religionis profeſſionem pertinet. Sequitur altera ſpectans ad ritus, & officium Eccleſiaſticum, quæ eſt huiuſmodi.

Pars ſecunda Concilij ad res Eccleſiaſticas pertinens.

Poſt quorum lectionem Lucretius Epiſcopus dixit: Ecce ex ipſa canonum lectione agnoſcat ſancta fraternitas veſtra non ſolum in generalibus Concilijs, ſed etiam in localibus congregatos ſimul ſacerdotes vno conſenſu ea quæ Eccleſiaſtico conueniebant ordini ſtatuiſſe, & ſecundum quod vnuſcuiuſque rei expetebat ratio, proſpexiſſe, ſequentes ſententiam doctrinæ Apoſtolicæ dicentis. Probate quæ bona ſunt, & tenete. Si ergo placet charitati veſtræ quia ſunt aliqua Eccleſiaſticæ inſtitutionis obſequia, quæ in huius præ-

ſertim

ſertim extremitate prouinciæ, non per contentionem quod abſit, ſed magis (ſicut præfati ſumus) fiunt per iniuriam, aut per ignorantiam, conſtituamus quadam inter nos capitula, vt quæ non vno modo tenentur à nobis, ad vnam omnino formulam reuocentur.

Omnes Epiſcopi dixerunt: Neceſſarium, & valde hoc vtile arbitramur, vt ea quæ apud vnumquemque noſtrum varia, & inordinata conſuetudine retinentur, vnito inter nos per Dei gratiam, & concordi celebrentur officio: & idcirco ſi quid illud eſt magnum, vel paruum quo variare videmur, ad vnam (ſicut dictum eſt) formulam præfixis rationabiliter capitulis reuocetur, præcipue cum & de certis quibuſdam cauſis inſtructionem apud nos ſedis Apoſtolicæ babeamus, quæ ad interrogationes ſuas quondam venerandæ memoriæ præceſſoris tui Profuturi prudentiæ, ab ipſa Beatiſſimi Petri accepit cathedra. Concordia de officijs Eccleſiaſticis. Eorum ratio à ſede Apoſtolica accepta.

Lucretius Epiſcopus dixit. Rectà Veſtra Fraternitas pro authoritate Sedis Apoſtolicæ reminiſcita eſt: quæ licet eodem tempore innotuerit quo directa eſt, tamen pro firmitate teſtimonij, & inſtructione multorum ſi veſtræ vnanimitati cōplacet, quia præ manibus eſt, coram bis omnibus relegetur. Lucretius.

Omnes Epiſcopi dixerunt: Iuſtum eſt, vt quia mentio ipſius authoritatis eſt babita, quæ ſit eius doctrina à circumſtantibus audiatur. Epiſcopi.

Relecta eſt Authoritas Sedis Apoſtolicæ ad quondam Profuturum directam Epiſcopum, quæ propter prolixitatem bis geſtis minimè eſt inſerta, poſt cuius lectionem Lucretius Epiſcopus dixit. Profuturus Antiſtes Bracharenſis

Manifeſtius patet, Apoſtolicam nobis opitulari doctrinam: & ideo ſicut fraternitas Veſtra prædixit, ſi quid per ignorantiam, apud quoſdam varium babea- Capitula ſuper Eccleſiaſtica diſciplina,

tur ad vniformem concordiæ regulam præſcriptis internos capitulis redigatur.

Propoſita ſunt igitur capitula, & relecta, quæ continent hæc.

Diuinum officium. 19 *Cap.1. Placuit omnibus communi conſenſu, vt vnus, atque idem pſallendi ordo in Matutinis, vel Veſpertinis officijs teneatur; & non diuerſæ, ac priuatæ, neque Monaſteriorum conſuetudines cum Eccleſiaſtica regula ſunt permixtæ.*

Vigiliæ. Miſſæ. 20 *Item placuit, vt per ſolennium dierum vigilias, vel miſſas omnes eaſdem, & non diuerſas, lectiones, in Eccleſia legant.*

Salutationes. 21 *Item placuit. vt non aliter Epiſcopi, aliter Presbyteri populum, ſed vno modo ſalutent, dicentes: Dominus ſit vobiſcum, ſicut in lib. Ruth legitur, & vt reſpondeatur à Populo, & cum ſpiritu tuo, ſicut ab ipſis Apoſtolis traditum omnis retinet Oriens, & non ſicut Priſcilliana prauitas permutauit.*

22 *Item placuit, vt eodem ordine Miſſæ celebrentur ab omnibus, quomodo Profuturus quondam huius Metropolitanæ Eccleſiæ Epiſcopus ab ipſa Apoſtolicæ ſedis authoritate ſuſcepit ſcriptum.*

Forma baptizandi. 23 *Item placuit, vt nullus eum baptizandi ordinem prætermittat, quem, & antea tenuit Metropolitana Bracharenſis Eccleſia, & pro amputanda aliquorum dubietate prædictus Profuturus Epiſcopus ſcriptum, & ſibi directum à ſede Beatiſſimi Petri Apoſtoli ſuſcepit.*

Profuturus Sedem Apoſtolicam conſuluit. Tota hæc ſecunda pars verſatur in officio, & ritu Eccleſiaſtico circa Sacramenta & Sacra: quæ doctrina tamen non affirmetur tradita Hiſpanis à prima inſtitutione, ſed quo tẽpore Epiſcopus Bracharenſis Profuturus Romam contenderat petitũ

ora-

oracula illius ſedis, vti apparet ex illis verbis. *Præcipuè cum & de cæteris quibuſdam cauſis inſtructionem, apud nos Sedis Apoſtolicæ habeamus, quæ ad interrogationem, quondam Venerabilis memoriæ prædeceſſoris tui Profuturi ab ipſa Beatiſſimi Petri cathedra directa eſt.* Atque huiuſmodi inſtitutio, & in Concilio legitur, & in certos Canones conijcitur. Faciebat hic quidem multum ad cauſam Gregorij VII. qui cum vellet officium diuinum, & in eo recitando formam ordinare ad normam Romanæ Eccleſiæ, ne in eo varietas eſſet, non potuit ad id melius exemplum afferre, quam iſtud Profuturi, qui Romanum Pontificem de eo, ac de alijs item ſacris ritibus tanquam oraculum conſuluerat. Hoc Conciliũ citat Gregorius VII.

Itaque ex ſcriptis in hoc Concilio apparet, quomodo ſint Gregorij VII. dicta intelligenda: non enim ille, niſi ad mentem ſuam citaret Concilium: in quo cum nihil pertinens ad promulgationem Euangelicæ legis, vel fidei prædicationem inueniatur, nihil tum de eo cum illam epiſtolam dictaret Gregorius VII. cogitabat. Vnde quando loquitur de fundatione, & plantatione Chriſtianitatis, & Religionis ad eum referendus eſt ſenſum, in quo Concilia loquuntur, quæ cum de certis doctrinis, quas ſuis hæreſibus corrumpere Hæretici tentabant, cuiuſmodi erat Priſcillianica, mentionem faciant, intra ſenſum Conciliorum mens Pontificis verſari debet, & ad eius inſtitutum accommodari. Atque hac ratione ſoluitur præcipua, & capitalis difficultas, quæ ex textu huius Epiſtolæ Gregorij VII. exiſtebat, quã Aduerſarij Achillem eſſe putabant. Sed inuentus Nihil de traditionis veritate detrahi à Gregorio mõſtratur.

tus

tus eſt demum, qui eum in pede, ideſt in plano, & ſimplici ſenſu intelligendo vulneraret: & mortalem eſſe doceret.

Breuiarii authoritate ab Vrbano Papa VIII. correcti Iacobi aduentus confirmatur.

Ad calcem obſeruo: noſtram hanc rationem interpretandi mentem horum Pontificum noua illa, ſeu veteri renouata Breuiarij iuſſu Vrbani Papæ VIII. de prædicatione S.Iacobi in Hiſpania lectione, magnopere confirmari. In hac enim vtrumque ſtatuitur: & prædicatio in ea Iacobi, & Epiſcoporum in eam à Petro Apoſtolo miſſio: quo vnum & alterum cohærere poſſe oſtenditur: vt nimirùm Iacobus venerit, & prædicauerit, & aliquos ad Fidem conuerterit, Petrus autem ex ijs Epiſcopos elegerit, & Eccleſias inſtituerit, & illis eos præfecerit. Sic enim Breuiarium lect.2. ſecundi Nocturni. *Mox in Hiſpaniam profectus ibi aliquos ad Fidem conuertit: ex quorum numero ſeptem poſtea à B. Petro ordinati in Hiſpaniam primi directi ſunt.* Quo ſane modo Innocentij I. & Gregorij VII. dicta cum noſtra ſententia cohærent: quæ ſolum aſſumit, & probat Aduentum, & Prædicationem in Hiſpania Iacobi: nihil de ſingulis Prouincijs affirmando. Quarum iura in medio relinquimus, nec cuiquam his à nobis hactenus dictis nocere volumus.

Componitur controuerſia.

Innocentij I. & Greg. VII. mẽs aperitur.

AN-

ANTILOQVIVM

Ad Argumentum ſumptum ex Pri-matu,

QVONIAM de re grauiſſima,& accuratè quidem ſumus acturi, quædam oportet animaduertere ad idoneam nobis in ijs, quæ adſtruimus, fidem conciliandam. Primum: quæcunque ſcribimus in hac parte operis, ea omnia in fontibus omiſſis riuulis vidiſſe, eaque vti inuenimus ſyncere, & nullo præoccupatos affectu in lucem atuliſſe. Secundum: nolle vllo nos pacto quicquam detrahere iuri Primatus ijs Eccleſijs, quæ ſuper eo in Hiſpanijs contenderunt, contenduntue: ſed re in medio relicta,de eo tantum ſtatuere, quod ad S. Iacobi aduentum, & prædicationem in Hiſpaniis attinet, & ad hunc finem cætera omnia, in quibus verſamur, argumenta reuocare, nullo Eccleſijs illato detrimento; vt integrum ſit vnicuique per me ius ſuum, & prærogatiuam tueri. Is enim ſum,qui pacem amo, & diſſenſiones abominor,& vni ſtudeo veritati. Tertium: quod capitale eſt, & propter quod proloquium iſtud inſtitui, magnam in Concilijs habendam eſſe rationem ſubſcriptionum ad agnoſcendam ſedium Primarum, & Metropolitanarum præſtantiam, quia cum ſciam nonnulla Concilia decreuiſſe, vt Epiſcopi ſecundum rationem Antiquitatis in conſecratione ſedeant,& ſubſcribant; illud ni-

Mens Authoris in hac parte tractatus,

Subſcribendi ordo in Concilijs argumẽtum eſt dignitatis ſubſcribentium,

hilominus conſtat, eam legem nunquam in Primatibus, ac ijs, qui Præeſſe ſolebant, locum habuiſſe. Quare ſemper is, qui primus ſubſcribit, principem locum habet dignitatis. Quo Argumento vtuntur Patres, & veteres ſcriptores ad probandam Romanæ Eccleſiæ ſupra cæteras excellentiam: quòd ſemper eius Legati primi in omnibus, quibus interfuerunt Concilijs ſederunt, & ſubſcripſerunt. Imo & Pij ac Religioſi Imperatores, vt ſe inferiores Epiſcopis eſſe faterētur, vltimo poſt eos loco ſubſcribere voluerunt, quemadmodum feciſſe legimus Conſtantinum Magnum, Theodoſium, & Marcianum, vti apparet ex Actis Conciliorum, & notat Bellarm. lib. 1. cap. 19. & Præterea Baſilium, & alium Conſtantinum, & Leonem Auguſtos, quod obſeruat Oſius lib. 1. de legitimis Iudicibus, & Loayſa in notis ad Conciliū Toletanum ſub Gundemaro: quanquam Baſilius non poſt omnes Epiſcopos, ſed poſt Patriarchas ante Epiſcopos ſubſcripſit, quod eum Patres eo honore afficere voluerunt. Itaque hoc maneat: cuius prima eſt ſubſcriptio, eum Summum, & Principem reliquorum eſſe; idque communi omnium calculo firmatum. Eſtque optimum huiuſce rei exemplum cap. Concilia d. 17. vbi Gratianus tradit Laurentium Mediolanenſem, Petrum Rauennatem Epiſcopum præceſſiſſe, quod ante illum ſubſcripſit. Idque confirmatur ex cap. Benequidem d. 96. in quo prius loquitur idem Laurentius *Argumento*, inquit Gloſſa, *Mediolanenſem prærogatiuam ſedis habere, ante Rauennatem cum ante eum reſpondit, ſicut in alia Synodo ante eum ſcripſiſſe legitur.* Accedit Canon Concilij Bracharenſis,

Id exemplis Imperatorum poſt Epiſcopis ſubſcribentium oſtenditur.

Conſtantinus. Theodoſius. Marcianus. Bellarm. Baſilius. Conſtantinus. Leo Auguſtus. Oſius. Loayſa. Baſilius Imperator quomodo ſubſcripſerit.

Gratian. Probatur aliis exemplis ab Epiſcoporum ſubſcriptionibus petitis.

Gloſſa in cap. Bene quidem d. 96.

renſis I. qui eſt ſextus, vbi ſic. *Item placuit, vt conſeruato Metropolitani Epiſcopi Primatu, cæteri Epiſcoporum ſecundum ſua ordinationis tempus alius alij ſedendi deſerat locum*. Relinquitur ſuus, ac Pinceps locus Primati, ſeu Metropolitano; vbi is primus fuerit, certus, ac ſtatus, nullo diſcrimine antiquitatis; cuius tantum rationem ſeruant reliqui Epiſcopi. Vnde miror duos viros ſuæ ætatis longè doctiſsimos Loayſam, & Acugnam, vt ſuos Primatus Toletanum, & Bracharenſem tuerentus affirmaſſe in Concilijs Toletanis Nationalibus Primates loco ſuo excluſos ab alijs inferioribus ratione antiquitatis conſecrationis fuiſſe. Loayſa enim, qui ſtudebat Toletano, & Acugna, qui Bracharenſi fauebat, cum negare non poſſent in quibuſdā Concilijs Bracharenſibus, & Toletanis nationalibus alios Metropolitanos præfuiſſe, ſuos ceſſiſſe, ac poſt eos ſubſcripſiſſe, eam rationem euadendi excogitarunt, vt dicerent non habitam Primatus, ſed antiquitatis ordinationis rationem fuiſſe, vt tradit Loayſa in notis ad 3. Concil. Toletanum verbo Maſſona, & Acugna tract. de Prima. Brachar. Eccleſ. cap. 28. n. 7.

Mediolanenſis Rauennati præfertur.
Concil. Bracharenſe 1.

Primas nunquam alijs cedit.

Loayſæ, & Acugnæ ſuſpecta ſententia.

Tenent Primates ceſſiſſe inferioribus ratione antiquitatis.

Verum quidem eſt, vbi de Primatu inter aliquos in eodem Concilio præſentes, fuerit contentio, tunc gratia pacis, & concordiæ, ſtatui poſſe, vt ratione antiquitatis præcedat Antiquior; quemadmodum ego exiſtimo in illis Toletanis Concilijs accidiſſe, in quibus magna varietas eſt Epiſcoporum præcedentium, nam ea ætate, cum in varios conuentus diuiſa eſſet Hiſpania, & ſinguli ſuos Metropolitanos haberent, quos Conſtantinus ijs præficiendos curauerat, teſte Raſes, cui ſub-

Vbi de Primatu conſtat nemo Primati preſertur, aut præferri poteſt.

Raſes.

Reſend. ſubſcribit Andreas Reſendius in Epiſt. ad Kebedium, quæ habetur tom. de Hiſpania illuſtrata, poſt medium, qui pares eſſe, & videri volebant, vt Paci ſtuderent, remittebant de contentione dignitatis, & primas antiquitati deferebant: quod

Mariana. obſeruat Mariana lib. 9. cap. 19. & Andreas Reſendius in epiſt. ad Bartholom. Kebedium. Ex quo noſtra ſententia robur accipit, nam ſi de Primatu conſtiterit, nemo huic ex alijs poterit præſtare, qui manifeſtè Primas fuerit: nec opinor quiſquam me, aut ratione, aut exemplo conuicerit.

Bracharenſe Concil. nihil contradiceit.

Quare canon ille Bracharenſis Concilij perſpicuè Primatem excipit, & cæteris tantum inferioribus Epiſcopis normam illam, & legem antiquitatis præſcribit: & hoc ſenſu loquitur Concilium 4. cap. 4. vbi ait. *Conuenientes omnes Epiſcopi pariter introeant, & ſecundum ordinationis ſua tempora reſideant*. Et quidem ratio, & ius non ſinit, quenquam perſpicuè inferiorem, gradu, & dignitate ſuo ſuperiori præeſſe. Quare ſi quis primas indubitatus ſit, ac perſpectus, non poterunt ei alij ſede locoue præſtare. Alioquin in Prouinciali Cōcilio liceret ſuffraganeo antiquiori, ſuo Metropolitano præeſſe. Quo quid abſurdius? Idoneum vero eſſe exemplū patet ex Doctrina ipſiuſmet Acugnæ citati cap. 6 vbi latè, ac eruditè oſtendit *Primates æquiparari Metropolitanis in Prouincijs Metropolico iure ſibi ſubiectis*, & tantum poſſe *Patriarcham*, ſeu Primatem in ſubditis Archiepiſcoporum, ſeu Primatus, quantum poteſt Archiepiſcopus in ſubditis ſuffraganeorum, idque multis Iuris Canonici Decretis, & Authorum teſtimonijs confirmat.

Canon nō de Primatibus, ſed de Epiſcopis loquitur.

Suffraganeus licet antiquior nequit Metropolitano ſuo præeſſe. Acugna.

Quod

Quod autem Primas indubitatus præcedere omnes alios non Primates debeat, licet in Conſecratione recentior & promotione iunior, & aliis rebus minor ſit, probat Iacobatius de Concil. titulo de ordine ſedendi. Et Antonius Auguſtinus in Epiſt. Iuris. Et Boerius de authoritate Magni Concil. Caſſan. in Catal. 4. p. conſiderat. decimam nonam idque ex cap. *Conqueſtus* cauſa 9. quæſt. 3. probat Acugna, ſed in eo textu nihil reperitur, quod rem contineat. Ea tamen eſt apud authores indubitata. Felin. in rubr. de maior. col. 2. nu. 2. Seraphin. decis 1223. num. 2. Maſtril. deciſ. 130. num. 13. Menoch. conſil. 257. Imò & ipſe Acugna huic ſententiæ adhæret de primatu cap. 7. *Primates*, inquit, *præcedunt Archiepiſcopos, & Epiſcopos, ea quod maiorem dignitatem obtineant, licet in promotione iuniores ſint*. Quod ſæpe repetit, & multis confirmat. Apparetque manifeſtè ex ijs quæ tradit Caſſan. in catal. 4. p. conſiderat. decima nona. Et quidem de Primate conſtat, ſi cognitus & receptus ſit, eum omnibus anteferri, vel ipſo met qui hoc poſtea ijt inficias, Roderico Acugna Authore. Illud item extra controuerſiam eſſe exiſtimo: nullum Epiſcopum in Concilio Archiepiſcopo præferendum, inuicto & irrefragabili argumento. Quia Archiepiſcopi Pallio fruuntur, quo Epiſcopi carent: non poteſt autem qui Pallio fruitur cedere illi qui eo caret: adeo vt ſi contingat Epiſcopum donari Pallio à Pontifice, neceſſe ſit eum cæteros Epiſcopos illud non habentes præcedere: quemadmodum idem met Acugna citatus fatetur his verbis: *Si Epiſcopus habeat Pallium debet omnes alios Epiſcopos præcedere qui Pallio non vtuntur non ſer-*

Primatem or tum omnibus alijs non Primatibus etſi iuneor ſit pręferri multis Authoribus probatur.
Iacobatius
Ant. Auguſt.
Boerius
Caſſanæus
c. Conqueſtus
Acugna
Felin.
Seraphin.
Maſtril.
Menoch.
Acugna

Nullus Epiſcopus Archiepiſcopo præferendus Pallij prærogatiua.

Epiſcopus cui conceſſus eſt vſus Pallij alijs Epiſcopis anteponitur.

non ſeruato tempore ordinationis, ex eo quia *Pallium eſt ſignum Autboritatis, & præeminentiæ qua ſtante de ordine promotionis non curatur*. Hinc illa Iacobatij ſententia lib.1. de Concil. pag.53. *Poſt Primates ſedebunt Archiepiſcopi, qui Regibus æquiparantur*. Quomodo igitur eos Epiſcopi præcedent? cum Archiepiſcopi, Principes quidam Epiſcoporum, & Apoſtolici appellentur? authore Iſidoro in cap. *Cleros*, verſu, *Archiepiſcopus* 21. diſtinct. Quin & Archiepiſcopus perinde eſt, ac Metropolitanus iuxta textum in cap. *Paſtoralis* in prim. de Offic. ordin. & extrauag. *Saluator de præb.* inter communes.

Iacobatius

Archiepiſcopus eſt Princeps Epiſcoporum. Iſidor.

Cap. Paſtoral Extrauag. Saluator.

Quare, quod aiunt duo ij grauiſſimi Doctores, Primates ſuarum, quarum Primatum tuentur, Eccleſiarum, interdum ceſſiſſe non Primatibus, & poſt eos ſubſcripſiſſe, verum eſſe nequit, nec id ratio, nec vſus permittit. Et apparet ex ipſiſmet Concilijs, in quibus erant Primates indubitati, nemo enim vſquam eorum vllo in Concilio reperietur, Archiepiſcopo Epiſcopo ve ceſſiſſe, niſi forte is Apoſtolicæ ſedis legatus eſſet. Hac enim ratione non ſolum Epiſcopus, ſed etiam Presbiter non Epiſcopus præeſſe Primatibus, & Archiepiſcopis, cùm loco, tum ſubſcriptione poteſt. Imò & de facto, vt aiunt, in Generalibus Concilijs præfuerunt. Nam in Niceno Magno illo Concilio, non ſolus Oſius Cordubenſis Epiſcopus, ſed etiam Vitus, & Vincentius Presbyteri Romani Siluestri Pontificis legati, primum locum ante omnes alios tenuerunt, & primi omnium ſubſcripſerunt: idque teſtimonio Magni Athanaſij in Epiſt ad ſolitariam vitam agentes, & alijs argumentis confirmat Seueri-

Loayſa, & Acugna referuntur.

Primas vni tantum Legato cedit.

Legati Romani Pontificis omnibus alijs Patriarchis, & Primatibus ſemper præfuerunt. Athanaſius

uerinus Binius in notis ad Concil. Nicèn. 1. tomo Concil. pag.291. col.2. & in Chalcedonenſi non non ſolum duo Epiſcopi Paſchaſius, & Lucentius, verum etiam alij duo Bonifacius, & Baſilius Preſbyteri cæteris omnibus legationis nomine præfuerunt. Quemadmodum ex Actis Concilij apparet, & in notis animaduertit Binius tomo 2.par.1. pag. 410. Quomodo ergo Primates, & Metropolitani poſt alios inferiores dignitate ſedere ac ſubſcribere potuiſſent? Certe quæ deinceps exempla, Toletanis repræſentatis Concilijs, adducam moſtrabunt, nullum Epiſcopum Metropolitanis præfuiſſe: ac ex iiſdem item patebit Metropolitanos interſe non eundem ordinem, perpetuumue ſeruaſſe, ſed interdum hunc alijs, interdum alium cæteris prælatum, ceu nemo eorum indubitatus Primas haberetur, nimirum cum ſex, vel tunc in Hiſpania Metropolitæ eſſent Bracharenſis, Narbonenſis, Emeritenſis, Toletanus, Tarraconenſis, Hiſpalenſis, vti vult Mariana lib.6. cap.16. vel quinque negato Toletano, vti mauult Reſendius in Epiſtola ad Kebedium, ac omnes de Primatu contenderent, certum ſinguli, & conſtantem ordinem habere non poterant. Verum quidem eſt Loayſam magnum in ordine ſubſcribendi momentum eſſe exiſtimare, quoniam qui primo loco ſubſcribit ei ille primas deferre ſolet: niſi quando manifeſtè videt Toletano ſuo detrahi: quem vt ſuſtineat varias rationes excogitat, ne Primatu motus videatur. Acugna perſpicuè affirmat ſæpe Primatem alijs poſtpoſitum, quòd iunior eſſet conſecratione; quaſi hoc vſuueniret, cum tamen ille locis proximè citatis nullo id iure fieri docuiſſet. In quo

Binius

Patet ex Niceno, & Chalcedonenſi Cōcilio.

Mariana Reſend. in Epiſt. ad Kebedium,

Loayſa

ſane

ſane doctum alioquin, & vigilantem authorem probare nequeo. Et quoniam ille vtitur Canone illo ſexto Concilij Brachar. primo, & quarto Concilij Toletani IV. qui eos legat, comperiet Bracharẽſem perſpicuè excipere ab eo ſedendi, & ſubſcribendi ordine Primatem, & Metropolitanum, quem vult primas habere, dum ait: *Conſeruato Metropolitani Epiſcopi Primatu*. Atque adeo titulum illum de antiquitate conſecrationis in cæteris alioqui dignitate paribus Epiſcopis locum habere: vti ſequentia Canonis verba declarant. *Cæteri Epiſcoporum ſecundum ſuæ ordinationis tempus alius alij ſedendi deferat locum*. Quo quid manifeſtius? Idem omnino decernit Canon Concilij Toletani IV. exprimens, de quibus loquatur, ideſt Epiſcopis. Itaque his decretis non potuit illa quam Acugna cum Loayſa, quem citat, doctrina contra Primates de loco, & ordine tradita vllo modo probari. Nequeunt hi ſuo loco, ideſt primo, ab inferiori dignitate, etſi antiquior is conſecratione fuerit, moueri. Quare qui noſtram hanc de ſubſcribendi ordine in argumentum Primatus Epiſcoporum ſententiam legerit, & forte in horum quos adduxi nobilium, qui contra ſentiunt autorum opera inciderit norit me recte ac iure feciſſe; nec quicquã eorum authoritate moueatur, meque ſolius veritatis amantem, & ab omni ambitionis, & partium ſtudio alienum ſumma fide, & integritate de re tota incorrupte iudicaſſe, comperiat. Et quò mihi maior habeatur hac in re fides affero ex Anglicano Cõcilio Londini Greg. 7. Pontificis Vvilielmo Rege Anno 1075. celebrato inſigne teſtimonium, quo exponitur mens eorundem in quibus fundantur

Primas nunquam inferioribus cedet.

Patet ex Toletano IV. ex Acugna, & Loayſa confutantur.

Conciliũ Anglicano.

ad-

aduerſarij Conciliorum. *Ex Concilio*, inquit, *Toletano IV. Mileuitano, atque Bracharenſi ſtandum eſt, vt ſinguli ſecundum ordinationis ſua tempora ſedeant, præter eos, qui ex antiqua conſuetudine, ſiue ſuarum Eccleſiarum priuilegio digniores ſedes habent.*

CAPVT XII.

Ratio petita ex Antiquitate, & Primatu Eccleſiæ Toletanæ diluitur.

HINC illæ lacrymæ. Doluit Rodericus Ximenius vir ſane glorioſus, quod illa traditione Aduentus Sancti Iacobi Apoſtoli in Hiſpanias tanquam iniecta ſecuri feriebatur: illudque vulnus ferre non potuit, quòd in animam, quæ in honore apud honeſtos claroſque viros ſita eſt, penetrabat. Atque adeo vt illud propulſaret omnem lapidem mouit: omnes euadendi vias excogitauit. Hæc traditio iugulum Primatus Toletani petebat. Nam cum fieri non poſſet vt S Iacobus ad Hiſpaniam appulſus Toletum, quæ maximè mediterranea Vrbs eſt, primùm adiret, imo in eam non niſi peragrata magna parte, quocunque demum appelleret, penetrare poſſet, ac vidiſſet maritimas illas Vrbes eo nomine ad ſe illũ trahere, & cum eo antiquitatem, & Primatus eius appendicem tranſire, conatus, & auſus eſt Traditionem inficiari: & aduentum S. Iacobi in Hiſpaniam funditùs tollere. Eo intentus, vt remoto traditionis obice antiquitatem, & Primatum ſuæ Eccleſiæ ſtatueret, quem aſtruere cogitabat.

Cauſa ob quã Ximenius S. Iacobi in Hiſpaniam aduentum negarit.

Eugenius an fuerit primus Epiſcopus Toletanus.

bat. Cum præſertim in animum induxiſſet ſuum; Eugenium fuiſſe Primum Epiſcopum Toletanum, quem Breuiaria priſca, & communis ſcriptorum veterum ſententia eius Eccleſiæ Patrem, & authorem appellant. Quod vt verum ſit, opus eſt omnino inficiari, ante eum alios in vlla Hiſpaniarum prouincia Epiſcopos extitiſſe. Igitur hoc accepto vt Toletanam ſedem Primariam eſſe totius Hiſpaniæ aſtrueret, vendicabat etiam ſibi antiquitatem, quæ ſtare non poterat cum Aduentu S. Iacobi in Hiſpaniam, à quo non erat dubitandum, quin Eccleſiæ fuiſſent erectæ, ac Epiſcopi inſtituti. Igitur omnino ſuſtulit Apoſtoli in Hiſpaniam aduentum, & opinor negaturus item fuiſſet Petri, & Pauli, ſi de eo quæſtio moueretur; imò & ab ijs Præſules miſſos inficiari perrexiſſet, cum Eugenius non niſi poſt eorum martyrium in Hiſpaniam ingredi potuiſſet: vt pote qui miſſus ex Gallia à Dionyſio, atque adeo Clemente iam Pontifice, multo poſt Iacobi prædicationem, & mortem in Hiſpaniam florentem religione, & abundantem Eccleſijs Epiſcopiſque veniſſet: quemadmodum communi conſenſu Galli, & Hiſpani ſcriptores, (vno tamen excepto Reſendio de quo poſtea) affirmant. Quos citare non eſt animus, ne Bibliothecas extractis inde nominibus compilaſſe videamur. Id conſtat: in horum ſententia Primatum Toletanum laborare. De qua re poſtea ſermo redibit. Verum quidem eſt Loayſam virum prudentem, & ſincerum, ita Primatum Toletanæ Eccleſiæ aſſignare, vt aduentũ, & prædicationẽ Iacobi minime inficietur: cum in eadem nihilominus ſentẽtia ſit Eugenium I. Epiſcopum, & Primatẽ Hiſpaniarum Toleti fuiſſe. Vult igi-

A quo ſit miſſus in Hiſpaniam, & quãdo?

Loayſæ.

tur, vt Eugenius à Petro adhuc viuo in Hiſpaniam mitteretur, & ibi Toletanam Eccleſiam fundaret: Cuius Principatus eſt Author acerrimus, nec minus antiquitatis: perinde ac non poſſet altera ſine alterius conſenſu, nexuque conſiſtere. Quin ab eo tanquam à fonte, & origine deducit ſeriem omnium Præſulum Toletanorum, & ſtatuit ab initio illam Toletanam ſedem prærogatiuam primæ, ac primatiæ habuiſſe. Nondum enim venerat in mentem Elpidij, quem noſtris temporibus recentioris memoriæ ſcriptores inuexerunt ab Iacobo Apoſtolo eruditum, & initiatum, vt primus eſſet Toleti Epiſcopus inſtitutus. De qua ego ſententia nihil dico: eam arbitrio lectorum relinquo. Tantum aio, difficile mihi videri alios ante Eugenium Toleti Paſtores conſtituere, cum tota eum antiquitas principem nominet: & quod apud me multum ponderis habet, priſca id Breuiaria ſanctæ & indubitatæ fidei fecerint, quemadmodum ipſimet, qui intrudunt Elpidium fatentur authores. Certe ipſamet Eccleſia Toletana, cuius cauſam agere volunt, Inuitatorium hoc in ſacro quod de illo eſt officio vſurpat. *Adoremus Chriſtũ Regem, qui per Sanctum Eugenium Toletum ad ſuam legem à ritu traxit Gentium*. Et in prima Antiphona ad Veſperas canit ſic: *Egregius Eugenius Fidus Toleti nuntius Chriſtum prædicauit prius*, alias iuxta recentiorem editionem *Primus*: eòdem tamen redeunt ambæ particulæ. Mitto alias in Breuiarijs, quæ ſunt multa, & antiqua, idem affirmantes. Ac ea fuerat primùm in Hiſpania recepta traditio: quam conantur hodie conuellere quidam magni nominis, ſed neſcio an paris fidei ſcriptores: & quod magis

Eugenium à S. Petro miſſum in Hiſpaniam Toletanam Eccleſiam fundaſſe tradit Loayſa.

Elpidius an fuerit primus Epiſcopus Toletanus ante Eugenium?

Breuiarium Toletanum fauet Eugenio

Taxantur nuperi ſcriptores qui Elpidium primum intrudunt.

mirari ſoleo, traditionem iſtam audent *errorem* appellare.

Omnium, & veterum, & nouorum mens eſt Toletanam ſedem totius Hiſpaniæ caput, & fontem efficere: atque ad id ſtatuendum, ea aſſumunt quæ veritati vim faciunt, eumque torquent, & gementem trahunt in ſuas quique partes: nec animaduertunt, quod cum Spondano obſeruaui, ipſos ſemet ſuis vulneribus conficere, & traditioni qua maximè nititur Iacobi prædicatio, alias negando traditiones, officere. Itaque eorum ſtudia probare non poſſum, nec ijs ſimilis eſſe volo, cum tamen, vti Luſitanus, poſſem Bracharenſis Primatus ius idonea ratione tueri. Verum omnia apud me veritas. Huic lito, nec amo lites. Abſtineo, & in medio relinquo. Tantum, quod meum eſt, Ximenium, & qui cum eo, ſtudio aſtruendi Primatum Toletanum aduentum Iacobi in Hiſpaniam negant, impugno; demonſtro que Ius Primatus Toletani non poſſe cum veritate Conciliorum conſiſtere; vt appareat fruſtra eos laborare de primo Epiſcopo, cum poſt illum quicunque tandem is fuerit, multi Epiſcopi Toletani Primarij non fuerint. Ad idque accuratiſſimè euolutis Conciliorum tomis, & illorum actis diligentiſſime inſpectis teſtimonia euidentia producam ex ordine ſubſcribendi, qui eſt idoneum prærogatiuæ Primatus argumentum.

De Primatu Toletano ſententia.

Vt eum adſtruat Ximenius S. Iacobum Hiſpania excludit.

Incipiamus à Concilio Elibertino, quod antiquiſſimum eſt ante Concilium Nicenum, Marcello Pontifice anno 305. habitum. Conuenerunt XIX. Epiſcopi inter quos Toletanus non primo, ſed quod mirere vel ſeptimo, vel tertiodecimo ſecundum

Concil. Elibertinum.

dum diuerſas editiones loco ſubſcribit.

Prima ſic

Felix Epiſcopus Auxitanus
Sabinus Epiſcopus Hiſpalenſis
Sinagius Epiſcopus Bigerrenſis
Paulus Epiſcopus Menteſanus
Cantonus Epiſcopus Corſicanus
Valenus Epiſcopus Cæſar Auguſtanus
Melanthius Epiſcopus Toletanus.

Secunda ſic habet

Felix Epiſcopus Accitanus
Oſius Epiſcopus Cordubenſis
Sabinus Epiſcopus Spalenſis
Camerinus Epiſcopus Tuccitanus
Sanagrius Epiſcopus Epagrenſis
Secundinus Epiſcopus Caſtulonenſis
Paulus Epiſcopus Menteſanus
Flauius Epiſcopus Eliberitanus
Cantonius Epiſcopus Corſicanus
Liberius Epiſcopus Emeritenſis
Valenus Epiſcopus Cæſar Auguſtenſis
Decentius Epiſcopus Legionenſis
Melanthius Epiſcopus Toletanus.

In eo ſubſcribit 7. vel 13. loco Epiſcopus Toletanus.

Procul erat à primatu, qui tam longe eſt à primo, vt nec in ſecundis tertijſue conſiſtat. Sed in aliena Prouincia vi fortè excluſus, loco motus fuit. Eamus ergo Toletum, & vtrum in propria ſede prærogatiuam obtinuerit? videamus. Ac primum ſe offerebat Toletanum illud omnium antiquiſſimum, atque adeo primum Concilium, celebratum Anaſtaſio Papa, Anno Chriſti 400. Nationale, Epiſcoporum XIX. in quo Patronus, ſiue Patruinus præfuit. Verum ab eo conſultò abſtineo, quod

Primum Cõcilium Toletanum.

quod non admodum conſtare video, An hic Patronus, ſiue Patruinus Bracharenſis, Toletanus, an Tarraconenſis Epiſcopus fuerit? Etſi enim certiùs putem Bracharenſem eum, non Toletanum, vti Loayſa, aut Tarraconenſem, vti Reſendius Epiſt. ad Kebed putant, fuiſſe, quòd omnes, hóc excepto, Luſitanici ſcriptores de eo cõſentiant, & ijs multis ex Hiſpani aſſentiantur, quos citat doctiſſimus Acugna in tractatu de Primatu Bracharenſi cap. 15. & ex eodem Concilio appareat eum Patronum, ſiue Patruinum ibi fuiſſe: nec alius eius nominis ſubſcribat, iſque Bracharenſis appelletur, non eſt tamen omnino indubitatum, quod multi id authores negant cum Loayſa in notis; nonnulli ambigunt, vti Mariana lib.4.cap. 20. Quare malo illud omittere, quòd non poſſum eo aduerſarios conuincere, cum præſertim huiuſmodi Epiſcopi non habeant proprijs nominibus adiuncta nomina Eccleſiarum, quemadmodum habent in ſequentibus fermè Concilijs, quæ adſcriptis Eccleſijs manifeſtius ſignificant præſtantiam Epiſcoporum. Itaque hoc prætermiſſo, de quo etiam dubitatur, an duplex fuerit, alterum ſub Anaſtaſio, alterum ſub Innocentio Primo, tranſeo ad indubitatum Concilium, & ſi de numero ſit ne ſecundum, an tertium, cum ex proxima quæſtione pendeat, nihil certe affirmari poſſit. Atque vt de certis, & quæ ſunt in Canone, vti ait ex Ximenio Loayſa, quod clara, & præcipua habentur agamus: Anno 589. Era 627. Pelagio II. Pontifice: Rege Recaredo Toletanũ, quod tertium dicitur Concilium celebratum, ſeptuagintaocto Epiſcoporum Nationale. Hoc ordine ſubſcribunt Patres.

Cur illud prætermittatur.

Fuerit ne vnũ an duplex ambigitur.

Loayſa Conc Tolet. ſub Rege Recaredo LXX. Epiſcoporum

Mau-

Mauſona Emeritenſis.
Euphemius Toletanus.
Migetius Narbonenſis .
Editio altera.
Maſſona Emeritenſis .
Euphemius Toletanus .
Leander Spalenſis .

In eo ſubſcribit ſecundo loco Toletanus .

Ne hic quidem primas habet Toletanus. Cedit alieno.

Inſpiciamus proximum,eodem ReccaredoRege licet IV.numero minime appelletur, Era 635. Anno Domini 597. Gregorio Primo Pontifice. A 13. Patribus coactum Concilium: vna tantum eſt ſubſcribentium ſeries.

Aliud eodem Rege Concilium.

Maſſona Emeritenſis .
Migetius Narbonenſis.
Adelphius Toletanus .

Nihil ei locus Concilij profuit: in quo ſedem habebat. Duos ſibi Prælatos vidit, & tulit, non opinor læturus, ſi liceret præcedere.

Tertia ſubſcripta eſt Toletani.

Inſignis illa Synodus eſt Toletana Gundemaro Rege habita Era 548. Anno Chriſti 610. in qua ſtatuitur Primatus ſedis Toletanæ in tota Prouinnincia Carthaginienſi: nec enim ante, niſi Carpetaniæ Metropolitana, & caput erat, idque apparet ex Concilio Toletano III. in quo Euphemius ſubſcribens ſe nominauit Metropolitanum Prouinciæ Carpetaniæ, non Carthaginienſis. Igitur conuenere Patres,dante ad id operam Gundemaro, vt declararent Toletanum Epiſcopum Primatem totius Carthaginenſis Prouinciæ eſſe. In hac Synodo ſubſcribit primo *Iſidorus Hiſpalenſis* ſecundus *Innocentius Emeritenſis*. Toletanus, qui tunc

Synodus Toletano Rege Gundemaro.

In hac I. Iſidorus Hiſpalenſis.

Toletanus nullus ſubſcribit, cum adeſſet Auraſius.

erat *Auraſius* non ſubſcribit. Duo hic obſeruo: Vnum non modo totius Hiſpaniæ Primatem Toletanum ante ea tempora non fuiſſe, imò ne totius quidem Prouinciæ Carthaginienſis Metropolitanum fuiſſe: cum ad id opus fuerit Synodo opera Regis collecta. Alterum nihil amplius tunc obtinuiſſe; cum Iſidorus, & Innocentius primi ſubſcripſerint; ille vero à ſubſcriptione abſtinuerit: quod non liceret ante illos ſubſcribere. Nam quod ait Loayſa, ideo non ſubſcripſiſſe, quia de eius Primatu agebatur, quod negat Loayſa æquum eſſe, probabilitate caret: quid enim æquius, quam vbi eius Primatus ſtatuebatur, & declarabatur, aduerſus competitores ſubſcribere, & ſubſcriptione decretum firmare? cum is ſcopus Concilij fuerit, quemadmodum ex ipſa Conſtitutione initio Synodi propoſita patet. Quare longè alia videtur ratio non ſubſcribendi fuiſſe. Videbat nimirum ille ſibi non licere ante duos illos Metropolitanos Hiſpalenſem, & Emeritenſem ſubſcribere: quòd ijs Prælatus non fuerat, nec præferri tunc poterat; idcirco minime voluit ſubſcribere: omnino ſubſcripturus, ſi aut omnibus Prælatus eſſet, aut ſoli ij conueniſſent, qui Carthaginienſis Prouinciæ eſſent. Ecquis enim ambigat, quin quod à Concilio decretum erat, vellet ſtatim confirmare, ac in vſum deducere, præſertim cum rem ſuſcepiſſet, & vrgeret Rex Gundemarus, Toletanæ dignitatis Author, & Vindex? Ratio igitur non ſubſcribendi ea fuit, quòd non poterat ante illos duos Bæticum, & Luſitanum Primates ſubſcribere.

Loayſæ ratio cur primus ſubſcripſerit Iſidorus, refellitur.

Loayſa conuincitur.

Loayſam vero præoccupati affectus iudicij manifeſtè conuinco. Nam illic in notis ad hanc Syno-

nodum fatetur Leandrum in tertia Synodo nationali Toleti habita, Rege Recaredo, præfuiſſe, ea nimirum ratione, quia Legatus Pontificis erat, ac Regis propinquus; qua item factum, vt in iſta, Gundemaro Rege, coacta Synodo, Iſidorus eiuſdem Leandri frater præfuiſſet. Quæ ſane ratio excogitata eſt á iudicio præoccupato amore Sedis Toletanæ. Nam vt omittam Leandrum, non ſolus Iſidorus præcedit Adelphium Toletanum, ſed etiam Innocentius Emeritenſis, qui nec Legatus, opinor, Papæ, nec conſanguineus Regis erat. Ergo alius fuit præcedenti titulus, nempe ius prærogatiuæ, quo duo illi Epiſcopi fruebantur. Leander Adelphius Innocent.

Data opera dixi. *Vt omittam Leandrum*: quia in eo Concilio tertio, vti proximè vidimus, non Leander, ſed Mauſona Emeritenſis primus ſubſcribit, atque adeo præeſt. Admitto tamen Leandrum illi interfuiſſe, & præfuiſſe, quod Loayſa ſentire Doctos affirmat, & deterior fit cauſa Euphemij Toletani, nec enim ſolus Leander, ſed etiam Mauſona eum antecedit, ac redit argumentatio proxime in Iſidoro facta, non priuilegio Legationis, aut beneficio propinquitatis victum ceſiſſe Toletanum, ſed iure dignitatis ſuperatum, & in tertium locum compulſum. Mauſona Euphemius Hiſpani omnes quomodo ſubſcripſerint.

Concilij Toletani IV. Honorio I. Pontifice Era 671. Anno Chriſti 633. Rege Siſenando huiuſmodi inſcriptiones ſunt. Concilium Toletan. IV.

Iſidorus Spalenſis
Silua Narbonenſis
Stephanus Emeritenſis
Iuſtus Toletanus.

Ordo in eo ſubſcribendi.

Tacet hic Loayſa, nec enim ad legationem, vel

pro-

propinquitatem poteſt recurrere.

Quinam, & quonam ordine in V. Concilio Toletano Epiſcopi ſubſcribant?

Concilio V. adeſt, ac præeſt Eugenius Toletanus. At nullus ibi Emeritenſis: Nullus Hiſpalenſis: Nullus Narbonenſis Metropolitanus. Erat quippe Prouinciale: ac proinde Toletanus primus ſubſcribit.

Concilium Toletanum VI. Nationale quas ſubſcriptiones habeat?

In VI. aliter res habet. Nationale quippe fuit. Era 676. Anno Domini 638. Chintillani Regis anno 2. Honorij Papæ extremis temporibus actum. Quinquagintaduo Epiſcopi interfuerunt Primi hoc ordine.

Silua Narbonenſis
Iulianus Bracharenſis
Eugenius Toletanus.

In ijs Toletana tertia.

Hæc varietas fidem facit Primatui aliarum Eccleſiarum ſupra Toletanam, quòd quando Concilium conſtat ex omnibus Hiſpaniæ Prouincijs, Toletanus minimè præeſt, ſed ſubeſt, vel vni, vel multis: quemadmodum apparet ex ſuperioribus Concilijs. Omnium enim aliarum Prouinciarum eum ſubeſſe cernimus, Hiſpalenſi, Emeritenſi, Narbonenſi, Bracharenſi.

Item tertia in Concilio VII. Nationali.

Hoc idem confirmant Toletani VII. ſubſcriptiones hac ſerie.

Orontius Emeritenſis.
Antonius Hiſpalenſis
Eugenius Toletanus.

Similiter in VIII. Nationali.

Eadem eſt ratio, & ordo ſubſcribendi in VIII. Toletano: vtrumque fuit nationale,

Orontius Emeritenſis
Antonius Hiſpalenſis
Eugenius Toletanus.

In IX. quod eſt Prouinciale I, ſubſcribit:

Eu-

Eugenius Toletanus.

Quod argumento eſt eum ſuæ tantum Prouinciç Primatem eſſe. Eodem prouinciali iure in X. primus Eugenius. In XI. Quiricus ſubſcribit. Hæc autem Concilia duo Prouincialia Loayſa eſſe affirmat. Habita eſt hæc Synodus XI. Toletana ſub Rege Vvamba, & Papa Adeodato Anno 675. ac ea claudit tomum ſecundum Conciliorum Seuerinus Binius.

Rurſum in X. & XI. vtroque Prouinciali.

In Concilio Toletano XII. primo loco ſubſcribit Iulianus Spalenſis, poſt eum ſecundo loco Iulius Toletanus ante Liubam Braccharenſem, & Stephanum Emeritenſem. Incipit enim Toletanus caput attollere. Imò Loayſa animaduertit in notis. In codice manuſcripto Regij Monaſterij Sancti Laurentij primo loco inueniri ſubſcriptionem Iuliani Toletani. Secundo Iuliani Spalenſis. Annus autem huiuſce Concilij fuit 681, Era 719. Eringio, ſiue Eruigio Rege. Vocat illud prouinciale Loayſa, quo iure neſcio; cum in eo interfuerint Spalenſis, & Braccharenſis, & Emeritenſis Metropolitani Bæticæ, Galleciæ, Luſitaniæ. Equidem perſuaſum mihi habeo non Iulium, ſiue Iulianum Toletanum, ſed Iulianum Hiſpalenſem huic Synodo præfuiſſe, & primum omnium ſubſcripſiſſe, tum quia video variari nomen, eumque modo Iulium, modo Iulianum appellari: tum quia ſubſcriptio illius codicis manuſcripti ſic habet: *Iulianus indignus Vrbis Regiæ Toletanæ ſedis Epiſcopus Hæc Synodica ſubſcripſi.* Deinde ſecundo loco. *Ego Iulianus Dei gratia Spalenſis Sedis Epiſcopus hac Synodica inſtitúta à nobis edita ſubſcripſi.* In quibus illud obſeruo. In Iuliani Spalenſis ſubſcrip-

In XII. Nationali I. ſubſcriptio eſt Iuliani Hiſpalenſis.

Loayſa

Id accuratè probatur.

tione poni: *inſtituta à nobis edita*. Quod non eſt in Toletani inſcriptione. Illud autem, *à nobis edita*, ſonat maiorem in ſcribente authoritatem; ſic enim loquitur, perinde ac ipſe edita proponat, quæ eſt nota principalis Epiſcopi. Poſtquem cæteri videntur ſubſcribere. Vnde illa Toletani ſecunda eſſe videtur ſubſcriptio dum ait *hæc Synodica ſubſcripſi*, quaſi referens hæc Synodica ad illud *à nobis edita*. Quod ſi *à nobis edita* ſignificat eorum authorem præcipuum fuiſſe ſubſcribentem, qui ſenſus non eſt alienus à locutione latina, conſtat Iulianum Spalenſem in ea Synodo primas tenuiſſe. Itaque ſiue ille ediderit, ſiue propoſuerit, coniectura eſt eum primo loco ſubſcripſiſſe.

Quo tempore cæperint Toletani Epiſcopi I. loco ſubſcribere?

Exinde cœperunt ideſt ab anno 683. Era 721. quo Anno celebratum fuit XIII. Concilium Toletanum, Eringio Rege, Pontifice Paſchali II. Epiſcopi Toletani primo loco in Synodis, etiam Nationalibus Toleti habitis ſubſcribere, vti ex ijſdem apparet. Nego autem ante hoc tempus Eringij, ſiue Eruigij Toletanum Epiſcopum primatum habuiſſe. Ac miror Loayſam in notis ad Concilium Toletanũ III. 2.to.Conc.p.2.affirmare in Concilio Toletano XII. præfuiſſe D. Iulianum Toletanum, quod non eſt auſus dicere cùm in hoc Concilium XII. notas edidit; tantùm obſeruauit in Codice illo Manuſcripto Monaſterij Sancti Laurentij primo loco Iulianum eſſe ſubſcriptum. Audiat Marianam, cuius eſſe ſolet laudator, & admirator.

Loayſa.

Marianę iudicio confutatur.

Is ergo lib.6.cap.17.ſuæ Hiſtoriæ ſic: *Actis Concilij*, id eſt *duodecimi*, *Iulianus Hiſpalenſis*, *Iulianus Toletanus*, *Luiua Braccharenſis*, *Stephanus Emeritenſis* ſubſcripſerunt. Quo autem argumento

Pri-

Primatum in hoc duodecimo Concilio probare conatur Loayſa, nimirum facultate conceſſa Toletano Epiſcopo eligendi, & præficiendi in vniuerſa Hiſpania Præſules, nihil eo euincitur, quia in Canone illo VI. in quo ei illud priuilegium datur, diſertè ponitur. *Saluo priuilegio vniuſcuiuſque Prouinciæ.* Imo ne id quidquam officeret Primatui aliorum, ac præcipue Hiſpalenſis, voluit hic ſuum locum, id eſt primum, ſubſcribendo tenere. Quod animaduertit Mariana ibidem, *& fortaſſis,* inquit, *Hiſpalenſis Toletano Præſuli dignitate noluit quiquam concedere.* Loquitur autem de primo loco ſubſcribendi. Conceſſit autem in ſequentibus 13. & alijs poſterioribus: in quibus, vti proximè dixi, Toletanus cæteros antecedit, quod item obſeruauit eodem capite Mariana. Mariana.

Igitur à principio Eccleſiæ, Hiſpaniarum Primatus penes alios, non apud Toletanum fuit: quēadmodum nos hactenus ex certis, & indubitatis Concilijs, quæ omnia ſuis in fontibus vidimus, accuratè, opinor, monſtrauimus, & certis argumentis oſtendit Reſendius in Epiſtola ad Kebedium. Refend. Qua in re Garciæ Loayſæ fidem deſidero, excuſo affectum ſuæ Eccleſiæ Primatum aſſerendi: cum præſertim eum ita temperarit, vt noluerit Diui Iacobi aduentum, quod auſus eſt Ximenius, inficiari. Verùm, quod ait in notis ad Concilium tertium Toletanum, ab Eugenio Primo prærogatiuam fuiſſe Sedem Toletanam, & principalem in ea Cathedram collocatam, ac nunquam interrupta ſerie, dum fuerunt Epiſcopi, permanſiſſe, id omnino eſt à veritate alienum. Nam ipſemet affirmat in notis ad tertium Toletanum

Loayſa non negat aduentum S. Iacobi in Hiſpaniam ob ſtudium Primatus Toletani aſtruendi vti Ximenius.

Con-

Concilium Regnante Cindaſuindo Primatus dignitatem ab eo Rege Toletanæ Eccleſiæ eſſe reſtitutam. Igitur amiſſa aliquando fuerat. At de iure fortaſſe loquitur: quod non amittitur vi: aut iniuria. Eſto. Illud ferre non poſſum, quod addit: *Marianus Societatis IESV doctiſſimus Theologus, diligens, & elegans rerum ſcriptor lib. 6. de rebus Hiſpaniæ ait, ſe habere anthorem, in quo ſcriptum eſt in ſeptimo Concilio Toletano controuerſiam de Primatu inter Toletanam, & Hiſpalenſem exortam, fuiſſe compoſitam*. Ita enim hoc iacit, quaſi ſignificet cauſa viciſſe, vti legenti patebit. Quod ſane aſtutè magis, quàm ingenue ac iure dictum, qui legat locum Marianæ, comperiet. Hic ergo lib. 6. cap. 8. ſic ſcribit; *Authorem habeo, qui controuerſiam ait inter Hiſpalenſem, & Toletanum Epiſcopos exortam de Primatu Patrum authoritate in hoc Concilio compoſitam*. Rem ſuſpenſam videtur relinquere, ac proinde obnoxiam legentis affectui. Oportet legendo pergere, ac ſenſum inquirere. *Poſtremo capite ſanxerunt ex vicinis Epiſcopis vnũ aliquem ſingulis menſibus Toletum venire, ſuaque præſentia Regiam Vrbem cohoneſtare: id Regis dignitati, atque Metropolitani honori dari affirmantes*. Fauent hæc Toletani cauſæ; Exitum videamus. *Verum ea prærogatiua, atque honore Primatus dignitatem, haud quaquam Toletano Præſuli certe tributam eſſe, Patrum ſubſcriptiones conuincunt. Vbi poſt Orontium Emeritenſem, & Antonium Hiſpalenſem, Eugenius Toletanus, & Protaſius Tarraconenſis ſubſcribunt*. Perſpicuè negat Mariana Primatum eo loco, cuius eum teſtimonio aſſerere volebat Loayſa. Quem nullo melius argumento re-

Laudatur Loayſa

Rurſum taxatur ob locum Marianę minus fideliter citatum.

Marianæ locus reſtituitur.

Mariana multos Hiſpanię Epiſcopos Toletano primis illis temporibus ſupériores fuiſſe oſtendit.

refello, quàm ipſiuſmet, quem tanti facit Marianę iudicio. Paulo poſt agens de ſtudio, quo Rex Cindaſuinthus curabat ius Primatus Toletano conferri, ſic *Theodiſeli* (Hiſpalenſis Epiſcopus ſede motus ob ſuſpectam de fide doctrinam fuerat) *caſum Cindaſuinthus Rex ad occaſionem arripiens Regiæ Vrbis Primatus honore decorandæ, à Romano Pontifice impetrauit Eccleſiaſtici Principatus iura Hiſpali, vbi haſtenus hæſerat, Toletum migrare. Sic Toletani Primatus authores affirmant, neque argumento ſatis idoneo, neque argumento paulo vetuſtiori.* Hæc Mariana. Ex quibus apparet eum ad ea vſque tempora, ius illud Primatus in Eccleſia Toletana minime agnouiſſe. Imo perſpicuè Hiſpalenſi ſedi tribuiſſe. Conſentit grauis author Reſendius, qui accuratè probat ante Conſtantinum, imo & poſtea, Toletanam ſedem ſub Carthaginenſi fuiſſe.

Primatus Toletanus quãdo, & quomodo cæperit. Marianæ ſententia.

Reſendius

Addo, ſi demus, quod ij Toletanæ prærogatiuæ ſtudioſi aſſumunt, verum eſſe, Hiſpalenſe ius cum ſuo Epiſcopo Toletum migraſſe, eo maximè impugnari ſententiam Primatus Toletani, quod non alia ratione Toletum translatum eſt, niſi cum perſona Hiſpalenſis Epiſcopi, quaſi ſecum is ius Hiſpalenſis Primatus transferret. Vnde conſtat Hiſpalim illud ius habuiſſe, & cum ſuo Epiſcopo Toletum tranſmiſiſſe. Non eſt mei inſtituti de Iure Primatus Hiſpaniarum diſputare, nec quicquam Toletanæ Sedi detrahere, quæ potuit hoc deinceps iure gaudere, ſatis enim ei eſt, ſi poſtea Eruigij tempore obtinuit, quod antea non potuit obtinere, quemadmodum Conſtantinopolitana Eccleſia diu pro Principatu Patriarchali inter tres ſedes

Primatus cũ Hiſpalenſi Epiſcopo Toletum tranſlatus.

Ale-

Alexandrinam, Antiochenam, Hieroſolymitanam pugnauit, quem tamen ante Iuſtinianum obtinere non potuit. Quo demum gauiſa eſt, ac deinceps poſt Romanam ſedem ſecundas in Eccleſia habuit. Illud tantum volui aſſumere falsò argumentatum fuiſſe Ximenium contra Sancti Iacobi aduentum in Hiſpaniam à ſedis Toletanæ antiquitate, ac Principatu, nec debuiſſe illum ambitione ductum, vt primatum ſuum ſtatueret, traditionem antiquiſſimam de aduentu Apoſtoli deturbare: ſatis erat oſtendere quod initio litis fecit, exhibere priuilegia Honorij Gelaſij, Lucij, Adriani, & Innocentij, & legere palàm Hyacinthi Cardinalis latam pro ſuæ ſedis primatu ſententiam. Cæteris abſtinere debuit, quæ ad Sancti Iacobi, & aliarum antiquitatem ſpectabant.

Male argumentatus ex Primatu Toletano ad negandum S. Iacobi aduentũ Ximenius

Priuilegia Pontificum in gratiam Primatus Toletani.

Nunc ad ea, quæ addit Baronius, ac Spondanus, quique cum ij ſentiunt accedamus. Colligunt ex taciturnitate Braccharenſis, & Compoſtellani, & aliorum, & ex victoria in cauſa Primatus Toletani, vera eſſe, quæ hic attulerat, atque adeo non potuiſſe alios ea confutare, cumque caput eſſet aduentus Iacobi in Hiſpaniam, quem negabat Toletanus alij affirmabant, de eo nihil conſtare. His ergo haud difficulter reſpondeo. Primum nihil hic actum contra Hiſpalenſem, & Emeritenſem, quos duos ſemper vidimus Toletano Prælatos. Quare non omnino certam, & exploratam Toletani victoriam fuiſſe. Secundum duos Tarraconenſem, & Narbonenſem minime adfuiſſe die qua egit cauſam Toletanus. Et quanquam Tarraconenſis Procuratorem illa die haberet Epiſcopum Vicenenſem, multum inter eum, & Archie-

Baronij, & Spondani ratiocinatio proponitur, & refellitur.

chiepiſcopum intereſſe: quippe qui propriam cauſam ageret, ac ſciret eam melius, & fortius ſuſtinere. Tertium ſatis omnes officio ſuo feciſſe, ac nullum eorum præuaricatum fuiſſe. Nam Braccharenſis reſpondit ſe conteſtari litem, quòd non fuerat citatus. Idem fuit Narbonenſis reſponſum. Acrius reſpondit Vicenenſis Epiſcopus pro Tarraconenſi. *Toletanum Epiſcopum nec eſſe Primatem, nec ſe debere illi in aliquo obedientiam præſtare.* Acerrimè autem Compoſtellanus ſe defendit, & Toletano fortiſſimè ſe oppoſuit ſemel cum dixit: *Pater Sancte deriſoria videtur petitio Domini Roderici, quòd Eccleſia Compoſtellana tam antiqua, & nobilis condita in honorem Apoſtoli Iacobi Domini conſanguinei, qui primum in Hiſpania verbum Domini ſeminauit, & infinitos ad fidem Chriſti conuertit, cuius corpus in eadem Eccleſia requieſcit, nunc quod abſit, obediat Eccleſia Toletanæ.* Et rurſum, poſtquam perorauit Ximenius dixit: *quod licet Toletanus eſſet Hiſpaniarum Primas, quod falſiſſimum erat, non tamen eius ſuffraganei deberent ei in aliqua re obedire.* Et quidem potuit Compoſtellanus obijcere Ximenio, Eccleſiam illam ſuam tanti iam olim habitam fuiſſe, vt Sancti Iacobi Archiepiſcopus Gallicienſis eam Apoſtolicam & eſſe, & dici voluiſſet, quod certè alio iure vindicare non poterat, niſi quod illam Iacobus Apoſtolus inſediſſet. Quemadmodum ex Rhemenſi Concilio proximè oſtendimus. Addito ex edicto Caroli Magni, quod adducimus prærogatiuæ inter cæteras totius Hiſpaniæ Sedes momenta, quæ mirum eſt, ſi ille Compoſtellanus ignorauit.

Reſponſio Brachar.

Reſponſio Tarracon.

Reſponſio Compoſt.

Itaque nemo tacitum tulit, quiquid in ea cauſa

dixit Ximenius. Verum remiſſius multò quàm par erat, & timidius ſe geſſerunt. Fateor; ſed aliter ſe gerere non potuerunt. Agebant cum homine gratioſiſſimo, potentiſſimo, eloquentiſſimo, doctiſſimo, omnibus animi, & corporis dotibus inſtructiſſimo, & cui primæ eo in Concilio omnium iudicio fuerunt delatę. Ille inquit Loayſa. *De facultate Pontificis latinè concionatus eſt. Sed quia ex diuerſis Mundi prouincijs tam Clerici, quam Laici conuenerant, vt omnibus ſatisfaceret, rationes, & teſtimonia latino ſermone prolata Laicis, & maternis linguis ſingulis exponebat; Romanis videlicet Theutonicis, Francis, Anglis, Nauarris, & Hiſpanis. Huiuſmodi autem prædicationis expoſitio valde placuit, vt pote quæ admirationem omnibus propter concionatoris acumen, & ingenij ſubtilitatem attulit, cum ab Apoſtolorum tempore auditum non ſit, aut ſcriptum reperiatur, quemquam ad populum eandem concionem habuiſſe tot, ac diuerſis linguis cuncta exponendo.*

Loayſæ de Ximenio Elogium.

Cum hoc igitur viro præſertim natura vehementi, & opinione hominum, aura que inflato, atque ad dicendum proiecto, ecquis contendere auſus eſſet? Ceſſerunt non tam iuri, quam potentiæ & gratiæ, & eloquentiæ. Quantum in eo ille Concilio potuerit, ex ijs quæ impetrauit, conſtat. *Obtinuit*, ait Loayſa, *vt per decem annos Legati munere in Hiſpania fungeretur. Permiſſum eſt illi, vt cum trecentis illegitimè natis diſpenſare poſſet: vt ex his ad ſacros ordines quidam: alij vero ad beneficia etiam animarum curam habentia: reliqui ad dignitates pro voluntate promouerentur, & vt cum aliquibus excommunicatis, ſacrilegis, & irregularibus,*

Quantum potuerit in eo Concilio ex priuilegijs ei conceſſis apparet.

bus, & concubinarijs diſpenſaret. Eſt etiam conſecutus, vt quam primum ciuitas Hiſpalenſis redderetur cultui Chriſtiano, ſine ſtrepitu iudicij iure Primatus Eccleſiæ Toletanæ ſubeſſet. Obtinuit etiam, vt omnes Eccleſias tam Cathedrales, quàm alias, quæ in omnibus Hiſpaniarum Regnis ex Maurorum poteſtate in Chriſtianorum ditionem peruenirent, poſſet pro ſuo libito canonicè ordinare, & non ſolum Clericos, ſed Canonicos, & Prælatos in eiſdem recenter creare. Quæ tanta ſunt, vt obtenta pro Primatus prærogatiua ſententia, horum appendix videri poſſit. Terrere iſta potuerunt competitores: quorum prudentiæ dandum eſt tunc ceſſiſſe, lite tantummodo conteſtata. Quid quòd ipſe Ximenius terminos diſceptandi egreſſus dicterijs aduerſarios, & iurgijs inceſſiuit, quibus ne audiendis quidem pares erant. Arrogans ille, elatuſque ingenio, faſtu ex aura, & plauſu collecto deſpicere, irridere, traducere, inſultare, & quod rationibus vix poterat, iniurijs extorquere. Penè pudet ſcribere, quæ ille dixit. In Epiſcopum Bracharenſem renouata Burdini Antipapæ memoria, quæ cum execrabilis eſſet, ac ipſe narrata prolixè hiſtoria exe-crabiliorem reddidiſſet, ac in Braccharenſem, ceu eiuſdem criminis particeps eſſet, audacter retorſiſſet, tantam ei inuidiam concitauit, vt ne mutire quidem auſus fuerit. Ac vt erat aſtutus, & audax; cum vidiſſet eam Burdini Hiſtoriam in aulæis illius, in qua conuentus erat, domùs expreſſam exhiberi, occaſione vſus intento in eam digito, audientium eò oculos; & ora conuertit, *ac ſi quis,* inquit, *hac de re dubitat, tollat oculos ad præſentes huius aulæ parietes, & videbit huiuſmodi hiſtoriam*

Ximenij factus, & è latio.

Obijcit Bracharenſi Burdini Antipapæ hiſtoriam

Deterret irriſione, & metu à cauſa Bracharēſem

picturatam. Ecquid autem hoc erat aliud, quàm Braccharenſem Archiepiſcopum eo paradigmate traducere, & Schiſmaticum, quod Hyacintho Legato Cardinali iubenti in Hiſpania Ximenium primatem recognoſcere, ac reuereri noluerit obedire, palàm dicere, & Burdinum alterum appellare. Quæ res coram Pontifice, & Cardinalium Collegio ita obiecta, non modo vocē Braccharenſi eripuit, ſed pudorem etiam attulit. Euētum deſcribit Loayſa. *Erigentes autem oculos, omnia, vt dixerat, viderunt, & Domini Toletani ſubtilitatem, & peritiam collaudantes cœperunt tum admurmurare, tum etiam in Domini Braccharenſis faciem intendere, quæ magno iam erat rubore perfuſa*. Vicit ergo Braccharenſem non ratio, non ius ſed dicentis audacia, & proprius timor, illi coniecti in eum omnium oculi, illæ contra eum obmurmurantes voces, & imminentis periculi ſi repugnaret, ac inflictum Burdino, cuius imago obuerſabatur oculis, ſupplicium examinauit. Fingat Baronius, fingat Spondanus, & quiſquis taciturnitatem Braccharenſi obijcit, ſe in eo loco ac fortuna eſſe, ac ſecum reputet, quid eſſet acturus, plane comperiet, nihil ſe aliud, quam quod Braccharenſis fecit, eſſe facturum. Nec enim opinor ijs maior fuit, quàm Marco Tullio eloquentia, hic tamen pro Milone cum diceret, præſenti Clodianorum, qui intererant, metu conſternatus nullus orator fuit, & cauſam amiſit. Silent inter arma leges, & in periculis argumenta, ſed bene eſt, quod ipſe Loayſa *ſubtilitatem* illam, non rationem appellat, quo ſignificat, arte, & aſtu Toletanum cauſam obtinuiſſe.

Loayſa

Culpatur Ximenius ob audaciam. Excuſatur Bracharenſis à metu exemplo Ciceronis.

Paulo

Paulo mitius egit cum Præſule Compoſtellano Ximenius, ſed ingenium ferox non depoſuit. Obiecit inſipientiam perſonæ: nouitatem Eccleſiæ exprobrauit, traditionem ſuſtulit, ac eo tandem deuenit, vt aduentum Sancti Iacobi in Hiſpaniam negarit, & quod magis mirandum eſt, ſepulturam Compoſtellæ in dubium reuocauit: & pernicioſo acumine multa miſcuit, quæ cum ad cauſam non facerent, ea tamen ſi quis improbare, aut refutare auderet, hæreſis ſuſpectus euaderet: quòd ad dignitatem Sanctiſſimæ Deiparæ pertinerent. Oppoſuit enim nobilitatem Eccleſiæ Toletanæ, quòd eam Virgo Sanctiſſima ſua præſentia decoraſſet, nobilitati Compoſtellanæ, quam Sancti Iacobi patrocinium muniebat. Oppoſuit corpus Beatiſſimæ Virginis viuum, glorioſum, quod Toletanam Eccleſiam conſecraſſet: cadaueri Beati Iacobi, quod in Templo Compoſtellano requieſcit: quaſi de eo vellet diſputari, quod extra controuerſiam eſſet. Aſtutè tamen hoc excogitauit, vt aut Compoſtellano facultatem contradicendi eriperet, aut ſi contradicere pergeret, anſam arriperet eum hæreſeos accuſandi, quaſi de Virginis dignitate detraheret. Non erat hebes Compoſtellanus: ſenſit aſtum: abſtinuit cæteris; negauit Toletanum Primatem eſſe: aſſeruit, admiſſo etiam quod eſſet Primas, nullum ei ius in ſuffraganeos ſuos eſſe. Conteſtata lite cauſæ ſententiam expectauit; quæ & ſi pro Ximenio, vti aiunt litis ſartores, lata fuerit, nihil tamen de veritate aduentus in Hiſpaniam Iacobi detraxit: cum aliud ſit Primatum tribuere, aliud aduentum negare; nam vti ſuperius diximus, ratio Principatus non eſt

Ximenius in Compoſtellanum actio.

Argumenta Ximenij arrogantiæ plena, rationis vacua.

Lis conteſtata à Compoſtellano.

ap-

appendix, aut conſectarius antiquitatis, ſed priuilegium dignitatis. Atque vt in alijs Eccleſijs, hoc non ſit, certè in Toletana aliud eſſe non potuit, quemadmodum ex antiquis Concilijs manifeſtè apparuit, & ipſimet Toletani Primatus Auctores cum Loayſa eorum Anteſignano fatentur, dum aiunt ius illud Principatus cum Hiſpalenſi, in quo antea erat, Epiſcopo, Toletum eſſe tranſlatum.

Nihil hac hiſtoria, quæcunque illa tandem fuerit, de veritate Iacobææ in Hiſpania prædicationis detrahitur.

CAPVT XIII.

Non tanti eſſe teſtimonium D. Roderici Ximenij, etiamſi illam ſententiam traderet, vt propter illud S. Iacobi in Hiſpaniam aduentus in dubium reuocari debeat.

NEGAVIT aduentum Sancti Iacobi, in Hiſpaniam Rodericus Ximenius. Negarit. Eſto (non dum enim de veritate illius manuſcripti, quod ſæpe inculcaui, diſputo) Quid tum? Ei omnino credendum: inficias eo. Affirmarunt in eodem Concilio eundem, quem negabat aduentum, Metropolitani Hiſpaniarum quatuor Braccharenſis, Compoſtellanus, Tarraconenſis, & Narbonenſis: tot enim erant aduer-

ſarij,

ſarij, Mariana teſte lib. 12. cap. 4. Vni ne igitur neganti, an quatuor affirmantibus habenda fides? Malim ego certè quatuor, quam vni credere? Quid ſi eundem Marianam audiamus eo loco ſcribentem: *Lite integra diſcuſſum eſt, neutrò inclinatis ſententijs*, atque adeo ei aſſentiri velimus, ne illos quidem litem de Primatu perdidiſſe? Quod argumento eſt, minus, hoc nobili quidem authore, ea in cauſa Toletanum Ximenium valuiſſe. Verum caruit codice manuſcripto Mariana, atque adeo rei exitum ignorauit. At non ſolum ille codex acta illius cauſæ continuit. Aliunde ſcire potuit Mariana, quid actum fuerit: quod ſi alij codices manuſcripti Braccharæ, aut Compoſtellæ eſſent, aliud fortè diuerſum exhiberent. Eſto tamen: Stemus huius Codicis Authoritate. Vicerit cauſam Principatus Toletani Ximenius, non idcirco neganti aduentum Sancti Iacobi in Hiſpaniam credendum eſt.

Mariana refragatur item Ximenio.

Manuſcriptus Codex Toletanus ſuſpicionis arguitur.

Primùm, quia nihil ea de re contra communem traditionem ſtatutum. Secundùm, quia rationes Ximenij rem non continent, nec quicquam perſuadent, vti perſpicue, opinor, oſtendimus. Tertiùm, quia deprehenduntur in hac ipſa ratiocinatione futilitates. Nam Rodericus Ximenius hic ait. *Iacobo fuiſſe datam poteſtatem prædicandi in Hiſpania, ſed in vſum eam reducere non potuiſſe, morte interceptum*. Quod liberè imo, & temerè dictum conſtat. Vnde enim colligit datam poteſtatem, aut ſi hoc colligit, cur non admiſit exercitium poteſtatis? A quo autem data erat poteſtas? Si à Chriſto, potuit in Hiſpaniam proficiſci, cum inter mortẽ Chriſti, & Iacobi decem plus minus

Illius etiam admiſſa fide nil contra Traditionem euincitur.

Eius futilitas oſtenditur.

nus

nus anni interfuerint. Si autem ab Apoſtolis, cur non potuit eò concedere, cum ſatis ad id fuerit temporis, quocunque demum anno ea facultas data fuerit; nam ſi eam obtinuit ante viſionem lintei, idem fermè ſpatium erat ad petendum, & prædicandum in Hiſpania, quod poſt Aſcenſum Chriſti fuit. At demus non niſi poſt linteum fuiſſe. Cum hoc ei oſtenſum ſit Anno 41. Chriſti, & Iacobus mortem obierit Anno 44. ſatis adhuc temporis ſupererat ad eundum, & prædicandum; & redeundum ex Hiſpania. Licuit ergo ei vti facultate data.

Affirmat vnū temerè, & negat alterū nexūm ineptè

Illud item friuolum eſt, velle officere traditioni antiquiſſimæ, & receptiſſimæ reſtringendo eam ad certas quaſdam moniales, & viduas, cum omnes fermè illam Eccleſiæ per totam Hiſpaniam in ſuis Breuiarijs, & Miſſarum ſolemnijs perſonarent. Præterea quàm puerile illud de Pictura Pontificis, & Burdini; ad quam neceſſe erat intendere digitum, & Cardinalibus monſtrare, cum riſu quodem ſardonico, eoſque ad contemptum Braccharenſis grauiſſimi Præſulis incitare! Tandem quid ineptius, quam inducere argumentum à conſanguinitate Iacobi cum Domino Chriſto, perinde hoc ad cauſam facere poſſet, & illud imponere Compoſtellano Præſuli, qui ne de ea quidem re cogitarat? quid abſurdius, quàm conari de dignitate certamen inter Deiparam Virginem, & Iacobum Apoſtolum inſtituere, & eò digredi, quod in mentem Compoſtellani Epiſcopi non venerat? & hiſtoriam de deſcenſu Virginis ad Sanctum Ildelfonſum in Toletano Templo commemorare? quaſi auderet ille reliquias Sancti Iaco-

Traditionem communem conatur priuatam efficere.

Aliæ in eo contentæ ineptiæ referuntur.

bi

bi mortui cùm Beatiſſimæ Virginis glorioſo corpore comparare: quod ne ſomniare quidem, vel impos ſui quiſquam potuiſſet. Nec dum ego maiora inquiro, ſuo loco facturus: & bipennem huic oleaſtro pro oliua intruſo iniecturus. Carpo leuiora: & fidem eleuo paulatim, vt poſtea ſubrutis fundamentis tota illa moles hiſtoriæ ad inanem ſpeciem fictæ corruat.

Aliæ in aliud tempus reſeruantur: poſtea ſuo loco redduntur.

Et quidem diu eſt, quod in vero Roderico Ximenio fidem in hiſtorijs deſiderabam, atque id ego collectis nonnullis erroribus animaduerteram, præter eos quos ſuperius commemoraui. Non amo vitia hominum detegere, ſed cum oportet ijs detectis veritatem tueri, temperare mihi, nec poſſum, nec debeo, quin eos prodam non hominis odio, ſed ſtudio veritatis. Liceat igitur nunc ad infringendam Ximenij aduerſarij authoritatem contra manifeſtam veritatem pugnantis nonnulla in hiſtorijs grauiora peccata reuelare, vt appareat quod initio capitis propoſui, minus ei à Baronio, cæteriſque eiuſdem ſectatoribus, quanuis verus eſſet author eſſe credendum: ne poſteros, quibus conſulo, errare contingat. Non mihi eſt animus omnia Roderici Ximenij ſcripta euoluere, & errores, qui latent excutere. Prolixa quippe, ac inuidioſa res eſſet. Eos tantum promere volo, qui ſatis ſint ad pudorem afferendum ijs, qui tam ei cito, ac facile crediderunt.

Studium modeſtiæ, & veritatis in authore.

Munitur via ad eleuandam fidem Ximenij in hiſtorijs

Libro 1. cap. 2. ait Scythas, qui Maſſagetæ appellantur, & Gotthos, & Alanos, & Vandalos, & Sueuos, & Hunnos ex Magog prodijſſe. Non taxo, quod ex Magog Gotthos prodijſſe dicat, cum id etſi minus conſtet, idonei quidam authores af-

Prior error circa Gotthos & Hunnos, & alias gentes ſeptentrionales.

firment? ſed id ſugillo, quòd omnes illas locis, & linguis, & moribus diuerſas gentes inde exiſſe ſcribat. Ecquis enim Vvandalos, & Sueuos Germaniæ populos cum Getis numeret? vt de Hunnis, & Alanis taceam, queis nobiles Authores diuerſas regiones aſſignant. Nec tamen omittam de Gotthis dicere, qui debent eſſe nobis Hiſpanis hominibus notiores, ex Scandia Inſula, quam Scanziam vocant alij, prodijſſe: & hanc ijs patriam primum fuiſſe, quod omnium pene conſenſu qui de Gotthorum origine ſcripſerunt, authorum receptum eſt.

Vera origo Gotthorum.

Supputatio temporum, quæ in fine cap. 3. habetur, ab ea, quam Romani tradiderunt ſcriptores, diſſentit. Iam illud non eſt ferendum in homine, & Epiſcopo Toletano, quod ibidem ſcribit. *Tolemon, inquit, & Brutus duo Conſules condiderunt Toletum, centum, & octo annis antequam Iulius Cæſar regnare cœpiſſet.* Quot hic verba tot errores ſunt. Vbi hæc monſtra Conſulum inuenit? & quomodo Toletum ab ijs conditum, qui nulli fuerunt? & illo tempore, quo iam Toletum arma Punica expertum fuerat? Certè haud paulò erat antiquior ea Vrbs, quam vt tam parum diſtaret à Iulio dictaturam inuadente. Audiamus ea de re Andream Reſendium virum Luſitanum eruditiſſimum in Epiſtola ad Bartholomæum Kebedium, qui cum videret Rodericum reprehenſum à ſuis, quòd Talabrigam, ſiue Talaueriam Aquas vocauit. *Nomen, inquit, hoc vbi nam repererit tute ais neſcire. Ego ſcio. Nempè ibidem vbi Conſules Tolemonem, & Brutum Toleti conditores centum, & octo annis antequam Caius Cæſar Rempublicam inuaſit.*

Error circa Toleti initia & conditores

Andreas Reſendius.

Toleti Vrbis antiquitas.

uaſit. Equidem Toletum non paulo antiquius exiſtimabam; nimirum quia Philippi Macedonum, & Annibalis antecedit ſecula. Qui hæc duo in Hiſpania ignorauit, Talabricæ nomen, & initium, & authores Toleti, quam tu ei fidem habeas?

Pergo lib. 3. cap. 18. narrat Ximenius Suintilam, & Rechimerum eius filium pacificè regnaſſe, & vitam cum Regno finiſſe, cum tamen conſtet vtrumque Regno pulſum, & Siſenando regnum vſurpante priuatos mortuos eſſe. Idque Concilium Toletanum IV. legenti apparebit, quod non latuit vigilantem hiſtoricum Marianam lib. 6. ca. 5. — Error circa Regum obitus,

Libro item quarto, capitulo quinto Alfonſo Catholico duos tantum ex Ormiſinda filios Froilam, & Vimarum attribuit. Tres ij; nam & Aurelium ex ea genuit, quem nouo errore capitulo ſeptimo eiuſdem Froilæ fratrem dicit; atque tertium addit: dum ait Silonem fratrem eſſe Aurelij: qua ratione oportet vt ſororem ſuam duxerit: nam ei Odiſindam ſororem Froilæ vxorem aſſignat, qui ſi frater erat Aurelij, & huius erat Silo frater; non poterat non Odiſinda ſoror Silonis eſſe. — Error circa Regum liberos. Et Connubia.

Aliam eius in hiſtoria incogitantiam malo verbis Marianæ dicere lib. 7. cap. 9. *hic Rodericus Præſul*, inquit, *Regem Alfonſum Caſtum ait à Leone III. Romano Pontifice impetraſſe, vt Archiepiſcopi Cathedra Templum à ſe nuper extructum honeſtaret, cum conſtet id tempore Alfonſi Magni factum eſſe.* In eodem ſæpe, ac turpiter errauit hic Ximenius, quo ſe maximè voluit in hoc Lateranenſi Concilio commendare nempe facto Burdini Antipapæ, vt videatur Deus ab eo pœnas iniuriæ Braccharenſi Epiſcopo illatæ erroribus expetijſſe. Igitur in hac — Mariana ſtatuit errorem chronologicũ Ximenij.

Alij errores in Hiſtoria Eccleſiaſtica narranda hiſtoria lib.6.cap.28. ſæpiculè peccauit. Primùm ait Ottonem fuiſſe eum Imperatorem, qui Paſchalem coniecit in vincula, & Burdinum intruſit, cum hic nullus Otto eſſe potuerit. Sed Henricus IV. Imperator. Deinde affirmat Burdinũ fuiſſe intruſum tempore Paſchalis II. cum conſtet eo mortuo Gelaſio iam Pontifice ab Hernico Germaniæ Rege V. Imperatore IV. Antipapam creatum. Tertium ait: hunc iam in ordinem redactum in monaſterio Calabriæ fuiſſe recluſum: cum in Caſſinenſe monaſterium relegatum, & in Arcem eiuſdem iam euerſam rurſum reliquum vitæ duxiſſe, omnes fermè Italici ſcriptores prodant: idque domeſtica, & idonea Caſſinenſis Chronici author authoritate confirmet lib.4.cap.70.

Mariana quamquam hic tertius leuis ſit error, & in quem etiam Ioannes Mariana incurrit; at duo primi magni ſunt, ac in homine docto ferri vix poſſunt.

Cherubinus alios corrigit Illos diſſimulare non debeo, quos deprehendit, & corrigit Cherubinus in compendio Bullarij ad Bullam 44. Leonis X. Vbi ſic ait. *Rodericus inquit militiam hanc, ideſt Alcantara tempore Ferdinandi II. Regis Legionis inſtitutam, & anno 1163. ab Alexandro III. & à Lucio III. & poſtea 1265. ab Innocentio IV. comprobatam fuiſſe.* Corrigendus tamen eſt Rodericus, quia anno 1183. Lucius III. non Alexander III. & anno 1205. Innocentius III. non IV in ſolio Petri ſederunt.

Alios prætermitto, quos magno numero admittit in hiſtoria rerum in Luſitania geſtarum, quos malo ſilentio inuoluere, ne quis me exiſtimet priuato magis odio, quam communis cauſæ ſtudio in hunc Authorem inuehi; tantum afferre

volo

volo teſtimonium grauiſſimi, & eruditiſſimi Viri Andreæ Reſendij, qui lib. antiquit. Luſitan. titulo de Orichienſi Agro ſic. *Rodericus* inquit *Toletanus parum Luſitanis aquus*, & eius errorem in hiſtoria taxat; hæc opinor ad eleuandam huius cui tantum fidei habere voluit Baronius, ſcriptoris authoritatem ſint ſatis. Eo autem animo hæc commemoraui, vt tam Ximenium, quam Baronium viros alioqui doctiſſimos fabam in ſe cudiſſe appareret, & minus in hac cauſa vidiſſe, aut videre voluiſſe. Excuſandus eſt tamen Ximenius, quod illa de quibus egit tempora ſitum ex incuria ſcriptorum, & iniuria hominum litteras minus curantium, & rubiginem contraxerant.

Multos in rebus Luſitanicis admittit Reſendius.

CAPVT XIV.

Aduentui in Hiſpaniam Sancti Iacobi Eccleſiaſtica Authoritas ſuffragatur.

§. I. Probatur ex ſummis Pontificibus.

ETſi Traditio ſatis ſuperque ſit ad fidem faciendam; nec illa egeat vllis adminiculis Authoritatis, quia tamen video eam ab Aduerſarijs deſiderari, & ad eruditorum voluptatem pertinere, nolui hac doctrinæ parte abſtinere. Rem ita digeram, vt hic ſolum ſacram, ex Pontificibus, & Concilijs, & officijs eruditionem colligam; ac breui proponam, ne actum agam;

Ratio, & methodus huiuſce partis.

reli-

reliquos Authores ad calcem reſeruo: & integrum, ac iuſtum eorum catalogum texam: & quorum ſum ope adiutus, candidè, ac ingenuè fatebor. Atque vt hoc iam præmittam, quæ hic produco teſtimonia magna ex parte debeo eruditis, & accuratis commentarijs Michaelis d'Erze, Ximenij, Legionenſis Canonici; & à ſacris Regis Catholici, quo nemo de hac re latius nitidius, eruditiusque tractauit; ac æquum erat, vt quando vnus Ximenius cauſæ nocuerat, alter eidem Ximenius mederetur. In producendis vero Authoribus non vtar coniecturis, ſed eos tantum, qui id diſertè affirmant recenſebo, nec afferam verba, niſi ſi qua maximè rem contineant, contentus indicare locos, nec enim volumen molimur, ſed opuſculum concinnamus.

Leo III. Pap. — Igitur primò loco eſt Leo III. Papa, qui floruit Caroli Magni, & Alfonſi Caſti temporibus, ab anno Chriſti 796. ad 816. à quo ſedes Irienſis Eccleſiæ, Compoſtellam, occaſione inuenti ibi corporis Iacobi Apoſtoli Authore Seuerino Binio, tranſlata eſt. Extant illius in illa tranſlatione ſermo, & Epiſtola in quibus Iacobi in Hiſpaniam aduentus, & ibi doctrina ſtatuitur. Hæc autem duo refert in ſuis de Beato Iacobo Commentarijs Calliſtus II. Vtriuſque opera ſuo loco afferemus.

Eccleſiæ Cópoſtell. initia

Seuerin. Binius.

Tranſlatio Corporis B. Iacobi.

Calliſtus II. — Secundus ſit ipſemet Caliſtus II. qui vt habetur in eius vita tomo Concil. 3. p. 2. *migrauit ad Dominum multis præclaris conſtitutionibus, quæ in Decreto Gratiani recitantur, & quodam opuſculo de Beato Iacobo in lucem edito clariſsimus.* Hi duo Anteſignani, quodammodo, & Principes huiuſce veritatis authores ſunt; ij quippe ſeorſim eam tradide-

diderunt. Multi ſunt alij, qui approbando illam, ſuum ij calculum adiecerunt. Quicunque enim Breuiaria tum vetera, tum recentia Hiſpani Cleri propria authoritate ſua confirmarunt, quæ in ijs de Beati Iacobi aduentu traditio incluſa erat, eam ſtabilierunt, quos diligenter enumerat Erze Ximenez parte prima tract. 1. Ac ego antequam illum viderem collegeram nonnullos ex libro Ordinis officij Gotthici, qui extat tomo primo, Siue ſupplementi Bibliothecæ Patrum: cuiuſmodi ſunt Ioannes VIII. ſic dicit, cum Decimus dicendus ſit. Alexander II. Gregorius VII. Paulus III. qui *Miſſale* inquit ille author in Bibliotheca, *& Breuiarium Muzarabicum iuſſit aſſeruari in Bibliotheca Vaticana*, additque rationem qua ſuperius vſi fuimus. *Hac in re viſus eſt id omne, quod non abiecit, imo apud ſe haberi voluit approbaſſe*. Hos quatuor nominat author illius libri de Ordine; quamquam ordinem temporum in ijs recenſendis minimè ſequatur. Nos temporum rationem numerando habuimus. Ante Paulum III. alij ſunt Pontifices nominandi, ita vt quartus ſit Victor III. à quo item teſte antiquo, & fortè idoneo Authore Iuliano Perezio (de quo ſuo loco) Breuiarium Muzarabicum anno 1086. approbauit quemadmodum eodem anno in Chronico teſtatur.

Breuiarijs cõfirmatur aduentus in Hiſpaniam Iacobi Traditio

Erze Ximenez

Supplementũ Biblioth. PP.

Qui Pontifices Breuiariũ & officium Gotthicum approbarint.

Victor III.

Quintus numeratur Calliſtus III. à quo in Bulla expedita anno 1456. in gratiam Eccleſiæ Sanctæ Mariæ à Columna Cæſar Auguſtanæ manifeſtè dicitur Beata Virgo apparuiſſe Beato Iacobo, & illi Templum in eodem, quo eam viderat loco ædificaſſe. Cuius diplomatis exemplum afferunt nonnulli Hiſpanorum ſcriptores, ac inter

Calliſtus III

eos

eos Erze Ximenius p. 1. tract. 1. cap. 115.

Paul.III. Sextum adduco Paulum III. qui tres litteras ſolemnes Apoſtolicas expediuit Breuiaria Hiſpanica confirmando, quæ in ſuis lectionibus aduentum Iacobi in Hiſpaniam aſtruebant. De principali diximus. Alias duas affert Erze Ximenez parte prima, tract. 1. cap. 115.

Iul.III. Septimus eſt Iulius III: cuius extat in Breuiario Ordinis Sancti Dominici edito anno 1552. in quo canitur hymnus & habetur lectio de hac re, Bulla ſolemnis formulæ id approbantis.

Pius IV. Paul.IV. Pius V. Concil. Trid. In Octauo. qui eſt Pius V. duo alij Paulus IV. & Pius IV. Pontifices inſunt. Quod enim ille correxit, ac correctum in Eccleſia recitandum ex Decreto Concilij Tridentini Breuiarium, in illo mentionem facit ſuſcepti conſilij à Paulo, & Pio IV. qui illam recognitionem antea agitarant, quā Pius V. perfecit, atque adeo ex omnium ſententia illud editum eſt. Inſigni illa particula inſerta in quintam lectionem. *Mox peragrata Hiſpania, ibique prædicato Euangelio rediјt Hieroſolymam.*

Greg.XIII. A Gregorio XIII. qui nono loco venit numerandus tria teſtimonia huiuſce rei accepimus. Primum anno 1581. approbatione officij Toletani Archiepiſcopo tum Gaſpare Quiroga Generali Inquiſitore. In quo ad diem 30. Decembris tranſlationis Anniuerſarium hæc verba continentur.

Breu. Tolet. *Deo igitur duce per vaſtum mare delata nauis breui peruenit in Hiſpaniam, quam Iacobus viuens luſtrauerat, & in qua Dei cultum magnis laboribus diſſeminauerat.* Secundum Anno 1584. in confirmatione ſolemni Breuiarij Carmelitani, quod ſemper

Carmelit. retinuit formam illius à Pio V. recogniti, & caſtigati.

gati. Tertium in commendatione Breuiarij Comenſis facta, quæ viſitur in ipſomet Breuiario typis mandato Anno 1585. quod retinet lectiones commemoratas. Comenſe

Decimus numero Sixtus V. magnum huic cauſæ momentum attulit, cum Anno 1589. officium proprium in honorem S. Iacobi Apoſtoli cum octaua, ſolemnis diplomatis authoritate muniuit; in quo proſa, & rythmo illius in Hiſpania prædicatio ſæpe affirmatur. Sixtus V.

Sed illuſtre omnino eſt teſtimonium, quod ſupra attulimus Vrbani VIII. in noua recognitione Breuiarij Romani, cui reſtituta eſt formula priſca, quæ in traditionem tempore Clementis VIII. conuerſa fuerat, retenta aduentus, & prædicationis Sancti Iacobi in Hiſpania affirmatione. Cui adijcio nouum momentum, eundem Pontificem cum accepiſſet recognitionem, & ſententiam in eam quam inſtituerat Congregatione à Iudicibus latam, dixiſſe. *In eadem ſe ſemper fuiſſe ſententia;* ac ſibi cordi eſſe illud concorde conſultorum; de prædicatione S. Iacobi in Hiſpania, iudicium. Quod viuæ vocis oraculum ex Apoſtolica Cortina prolatum hanc rem magnopere commendat. Breu. Rom. Vrban. VIII. Vrbani VIII. præclarum de aduentu in Hiſpaniam Iacobi teſtimonium.

CAPVT XV.

Probatur ex Concilijs.

PLVRA ſolent Authores noſtri ad probandam huiuſmodi, quam ſtatuimus ſententiam, proferre Concilia, quæ examinare operæ pretium duco.

Probatur authoritate Cōciliorum. Brachar. I.

Primum eſt Concilium Bracharenſe primum, de quo ſupra diximus, repertu in Archiuio Alcobatiēſis Cœnobij in Luſitania antiquorum ſcriptorum theſauro. Ciſtercienſis illud eſt ordinis ex Bernardi inſtituto. In hoc igitur codex inuentus duplex huius Concilij manuſcriptus ab eximio indagatore Antiquitatum Fr. Bernardo à Britto eiuſdem familiæ Regio, & eleganti Chronologo, quod ille edidit in lucem in 2. p. Monarchiæ Luſitan. ann. 1609. cum eiuſdem antea non pauca exempla tranſcribi curaſſet, quorum duo D. Auguſtino Caſtrio Archiepiſcopo Bracharenſi poſtulanti miſſa ſunt. Imo is ea ſuis ſumptibus transferri iuſſit: quod ſummæ fidei argumentum eſſe poteſt.

Fr Bernardus à Britto.

Eius itaque Concilij cap. 3. cum de cura, & cuſtodia Reliquiarum agat illa periodus eſt. *Præcipuè de Patre noſtro, & Apoſtolo huius Regionis Petro Ratiaſtenſi, quem ad ſaluandas animas Iacobus Domini conſanguineus dimiſit.* Auidè arripiunt teſtimonium tum Bracharenſes ad ſuam prærogatiuam Primatus aſſerendam, tum reliqui Hiſpani ad Sancti Iacobi aduentum, & prædicationem affirmandam. Mihi habita omnium pace liceat de hoc Concilio dubitare; nec enim ex quo in-

Vtrum hoc I Bracch. verū, & idoneum ſit.

illud

illud incidi (incidi autem iam diu cum de Concilijs hoc in Collegio Controuerſias inſtitui) in animum potui inducere illud Concilium eſſe idoneum. Non poſſum id modo latè, & accuratè oſtendere, qui id præſto in meo de Concilijs, & Eccleſia, quod adorno, volumine. Paucis tamen dico: ne me quis arguat temeritatis. Primùm illud Concilium, & Anno, & Rege caret, contra quàm in cæteris tum Bracharenſibus, tum Toletanis, tum alijs ex Hiſpania fieri ſolet. Secundum ieiunium maxime, ac tenue eſt, cum tribus, quatuorue capitibus terminetur, ac nullum Canonem ediderit. Tantùm præmiſſa Confeſſione fidei, Statum Hiſpaniæ, & periculum Reliquijs *Sanctorum* imminens proponit, idque frigidiſſimè tractat, & nihil ferè momenti decernit. Tertium ratio congregandi longè diuerſa eſt ab ea, quæ in reliquis Hiſpaniæ Conciliis ſeruari, ſolita, & proponendi, & agendi methodus, tantis Epiſcopis, haud digna. Quorſum enim congregantur Epiſcopi decem ex tot Prouincijs collecti ad rem, quæ vix agitata eſt, nec magni erat pretij operæ, tractandam? Alienum erat à tot tamque grauibus viris ea tantum de cauſa conuenire, vt de occultandis Reliquijs ageretur. Quod vnuſquiſque in ſua Eccleſia curare poterat. Certè alia materies, aliud pondus eſt rerum in alijs Bracharenſibus Concilijs agitatarum. Vti oſtendunt tot, tamque illuſtres Canones Luſitano iudicio, & ſtudio Religionis tuendæ digni, quos qui legat, & cum iſtis conferat, ſtatim ſuſpicabitur horum Luſitanos non eſſe Authores. Quartum, cur ij Epiſcopi Eccleſias ſuas imminentibus Barbaris deſerebant, vt de

Examinantur Acta Concilij.

re tam facili conſultarent, cum præſertim tempe-
Hæreſis Priſcilliani. ſtiua ea præparatio eſſet, & mora perniciosa? At neceſſe erat Fidei profeſſionem emittere, ac ea præcipuè de cauſa conuenerant. Non erat hæc in Concilio neceſſariò emittenda. Sed populos docenda: & domi tuenda; nec enim egebant Paſtores corfirmatione, ſed oues, quas in medio relinquebant diſcrimine. Præterea iſta Fidei profeſſio ſuſpicionem mouet: nihil enim in ea ad deteſtandos Priſcillianiſtarum errores, vti in alijs fieri ſolebat Hiſpaniarum Concilijs, pertinens reperitur. Omnia aduerſus Arium proponuntur, quo tempore ea hæreſi laboraſſe Hiſpaniam non legimus, nec ab ijs qui imminebant barbaris ea erat inducenda, qui Alani, & Sueui, & Vvandali cum eſſent, minus certè Arianos ſectabantur. Iam verò in ipſamet formula Confeſſionis deeſt particula omnino neceſſaria ad ritè, ac catholicè ſentiendum. Quid enim ſibi vult illud. *Credo in Deum vnum verum, æternum, ingenitum, à nullo procedentem*: non nominato *Patre*, cum omnino exprimendus eſſet, ne quis exiſtimaret ſentire illos Patres cum Arianis qui ſolum *Patrem Deum*
Confeſſio Fidei facta in eo Concilio. eſſe per Antonomaſiam dicebant. Inſuper illa confeſſio quæ *ad Spiritum Sanctum à Patre, & Verbo procedentem* ſpectat haud dubiè præcox eſt, non enim tam cito ea veritas in Concilijs expreſſa fuit, cum præſertim Concilia Bracharenſia Nicenæ Fidei formulam ſequerentur. Tandem quì Epiſcopus Numantinus, & Emeritenſis in eo Concilio ſubſcribunt, cum ad Calleciam minime pertinerent? Emeritenſis totius Luſitaniæ Metropolitanus eſſet, ac primo interdum loco in Nationa-

libus

libus Concilijs, atque adeo ante Bracharenſem ſubſcripſiſſet, vti apparet ex tertio, & ſeptimo Concilio Toletano, & alijs quæ contra Rodericum Ximenium adducemus. Vt omittam illum titulum Epiſcopi *Eminenſis* qui nuſquam reperitur, & vox *Vlixbona* quæ multò eſt, quam pro illo ſæculo recentior. Hec curſim: vt ſignificem me haud temerè ad prætermittendum illius Concilij in re tam graui, ſeriaque teſtimonium, motum fuiſſe.

Afferunt alia Concilia in quibus mentio fit Sācti Iacobi honorificentiſſimis titulis affecti, vti *Beatiſſimi Apoſtoli Patroni*, & eiuſdem modi; idquē authore Iuliano Perez Archipresbytero, quo multum vti ſolent certi quidam ſcriptores, confirmant. His ego prorſus abſtineo, quod rem non continent: nec is mihi author multum arridet, & Perezij cognomen nuperum quiddam olet. Alia teſtimonia minus idonea.

Aliud argumentum in Baſilienſi Concilio aſſumunt, in quo prima ſedes Toletano Archiepiſcopo attributa eſt, ob id nimirum, quod eius nationis erat, quam Sanctus Iacobus Apoſtolus Fidei prædicatione luſtrauerat. Concurrerant circa prærogatiuam loci quatuor. Ioannes Archiepiſcopus Toletanus, Ioannes Archiepiſcopus Rhotomagenſis, Richardus electus Eboracenſis: Andreas Epiſcopus Poczuamienſis, ſinguli ſuarum Nationum Præſidentes: ac in ea controuerſia affirmant viciſſe Ioannem Toletanum ea ratione, quòd gens Hiſpana prius Fidem Catholicam acceperat. Huius rei Authores inter cæteros ſunt Erze Ximenius prima parte tract. 2. cap. 2. & Valdes lib. de dignitate Regum, & Regnorum Hiſpaniæ, Con- Concilij Baſilicenſis authoritas à recentibus authoribus adducta iniepta eſſe monſtratur. Erze Ximen. Valdes

Confirmat aſſumptum Erze teſtimonio Cardinalis Turrecrematæ in ſermone de Sancto Iacobo c. 13. citat verò locum Baſilienſis Concilij tom. 3. Editionis Colonienſis ſeſſ. 1. pag. 5. & nititur hiſce verbis. *Quo loco taliter electo, & pronunciato, ac aſſignato, & deputato vocati fuerunt in locum dictæ Congregationis Reuerendiſſimi Patres, & Domini, Domini Ioannes Archiepiſcopus Toletanus nationis Hiſpanicæ Præſidens. Ioannes Archiepiſcopus Rhotomagenſis nationis Gallicanæ Præſidens. Richardus electus Eboracenſis Anglicanæ nationis Præſidens. Andreas Epiſcopus Poczanienſis nationis Germanicæ Præſidens, in quorum præſentia dicti loci electio fuit ſolemniter publicata.* Ex his colligit Erze Prælatum fuiſſe Toletanum his verbis, quæ latinè reddo. *His conſtat antepoſuiſſe Concilium illum Antiſtitem Hiſpaniæ Præſidentem aſſignando ei præſtantiorem locum quàm alijs, qui pro Gallicana, & alijs nationibus.* Rationem vero affert ex Turrecremata.

Turrecrem.

Non ſoleo multum authoribus antiqua citantibus fidere, doctus meo malo, ac expertus me aliquando deceptum, quod ne deinceps contingeret, adire fontes ſtatui, & ex ijs bibere. Accidit mihi legenti eos, & apud eos locum Concilij, vt hac de re aliquantum ambigerem, quod cum antea Concilij Baſilienſis acta, quæ ſunt prolixa, non ſemel legiſſem, nunquam id obſeruaſſem. Quare Concilium euolui non ea modo prima ſeſſione, ſed in alijs etiam locis, qui rem continerent, nec vnquam contentionem vllam de prærogatiua loci reperire potui. Imò inueni illud, quod ab Erze Ximenio affertur teſtimonium, ac totidem verbis

ois habetur in Concilio, nihil ad dignitatem loci inter eos Epiſcopos ſtatuendam pertinere. Ne mirere lector. Audi tantum & percipe. Vocati unt illi quatuor Archiepiſcopi, vt de mutando loco Concilij, qui tum Senis erat, Baſileæ Vrbe conſentirent, quod ijs inconſultis fieri æquum non erat. Itaque decreto iam, & deſignato loco Baſilienſis Vrbis, *vocati fuerunt* illi quatuor nationum Principes, vt ratum haberent conſtitutum, idque manifeſtum eſt in Concilio: continuemus præciſa verba. Pergit Concilium. *Et per ipſos Dominos Archiepiſcopos, & Epiſcopos approbata, & confirmata. Dominus Ioannes Archiepiſcopus Toletanus Hiſpaniarum Primas, Regnique Caſtellæ maior Cancellarius, & ſupradictæ nationis Hiſpaniæ Præſidens ad dictam electionem reſpondit. Se habere duas voces, vnam vt Præſidens nationis ſuæ Hiſpanicæ: aliam vero, vt Archiepiſcopus, & Primas Hiſpaniarum. Quantum ad primam vocem non poſſe conſentire niſi requiſita, & conſentiente natione ſupradicta, quantum vero ad ſecundam vocem videlicet, vt Archiepiſcopus, & Primas dixite ſe conſentire: & expreſſe conſenſit.* Itaque de loco futuri Concilij non de loco digniori inter quatuor Archiepiſcopos agebatur. Idque manifeſtum eſt ex ſubſcriptione Notarij. *Et ego* inquit. *Petrus Clerici Clericus Ambianenſis Diœceſis Magiſter in Artibus publicus authoritate Apoſtolica, & inclyta nationis Gallicanæ in prædicto Sacro Concilio Senenſi Notarius, quia huiuſmodi electioni, pronunciationi, aſſignationi, & deputationi loci futuri Concilij, vt præmittitur proximè celebrandi, præſens fui, &c.* Qua ratione ergo aſtruatur hæc de loco, & ratione

Baſilenſe Cõcilium examinatur.

ne obentæ prærogatiuæ ſententia, ego non video: id ſolum reperio nominari hic primo loco Hſpanum, ſed locum ei primum in Concilio datum non inuenio. Quod verò attinet ad contentionem, Turrecremata, vti ab Erze citatur: non cum Gallo, & Germanico, ſed cum Anglo ſuſceptam fuiſſe narrat, eique Hiſpanum præſtitiſſe. Sic enim. *Sicut Beatus Iacobus fuit primus inter Apoſtolos, qui Martyrium pro Chriſto ſuſcepit, ita Regnum Hiſpaniæ videtur inter omnia Regna Fidei lumen, & Chriſtianitatis titulum ſuſcepiſſe, ſicut Baſileæ dum, cum Anglis de excellentia Regnorum altercabatur, fuit oſtenſum, & probatum.* Quare hoc teſtimonium idoneum ad rem, de qua tractamus probandam eſſe non puto. Cæterum hoc in medio relinquo. Forte enim erit alia editio Concilij, in qua aliter acta referantur. Verum iuxta horum tenorem nihil poteſt certi haberi: nec ratio Turrecrematæ quidquam expreſſum continet: Quod ſi contentio ſolum cum Anglis fuit, non video quorſum ea tendat, nec quid euincat. Illud obſeruo; ſi res, vti commemoratur accidiſſet, multum in ea momenti fore oportere, cum initia illius Concilij germana fuerint ante ſeſſionem ſecundam, in qua infœliciter, & falsò decretum, Papā Concilio ſubiectum eſſe, ob quam infauſtam, & erroneam doctrinam, *Conciliabulum*, ſeu vt vocat Lateranenſis Leone X. Synodus *Conuenticulus* eſſe Acephalus cæpit. Sed hæc aliàs.

Nihil hac de re, aut egiſſe, aut ſtatuiſſe oſtenditur.

Concil. Baſilienſe fuit Cōciliabulum. Leo X.

Exploſis tanquam ſuſpectis huiuſmodi teſtimonijs Conciliorum, ſupereſt vnum irrefragabile, ideſt Concilium Toletanum IV. in quo Patres ſerio, & grauiter egerunt de ordinanda certa, &

conſtanti Miſſalis, & Breuiarij ratione, *quæ in toto*, ſic aiunt cap. 2. *Hiſpania*, *& Gallia*, puta Narbonenſi, Prouincia, *ſeruaretur*. Quam Prouinciam demandatam fuiſſe Sancto Iſidoro omnium fermè Authorum conſenſu traditur. Id eo anno Baronius, & Spondanus, & Biſciola, id Loayſa in notis, ac cum eo Binius, id Mariana lib. 6. cap. 4. ex traditione confirmat, qui diſerte ſecundum eam ſcribit *Miſſale*, *& Breuiarium Mozarabum*, *ſacrorum, precumque diurnarum*, *ac nocturnarum ritus Iſidori tribui*. Imò & partem Leandro aſſignat. *Tametſi* inquiens *nonnulla Leander inuenerit*. Cum autem in ijs expreſſa mentio de Iacobi in Hiſpania prædicatione fiat: quemadmodum infra monſtrabimus, authore certè Concilio id approbatur, & commendatur. Igitur Concilium Toletanum IV. iure pro hac ſententia citari debet. Mariana Leander Concilij IV Tolet. pro hac veritate authoritas.

Aliud Concilium, quod immeritò generale vocat Erze Ximenius parte prima, tract. 2. cap. 2. fuit Ioannis X. tempore, Romæ habitum ſuper his officijs ſacris tum Miſſalis, tum Breuiarij, Gothicis: nam cum Authore Mariana lib. 7. c. 20. perſuaſum eſſet Romanis, in ratione precandi Gotthica multa eſſe deprauata Ioannes Zancllo, quē in Hiſpaniam miſerat ad viſitādum Iacobi Apoſtoli corpus, deinde legatum inſtituerat ad recognoſcendos illos ſacros Hiſpaniæ libros, & Ritus, commēdauit, vt quæ de ea re comperiſſet Romā ad ſe deferret. Quod ille diligenter præſtitit, ac in Vrbē reuerſus, cum Pontifice communicauit. Qui ſuper eo conuocatis Patribus, de omnium conſenſu retenta fuit illa priſca orandi, & celebrandi ratio. Et ſolum *illud* ait Mariana de nouo ſanxere. *In ſacratiori, ſe-* Fauet Conc. Romanū ſub Ioanne X. Mariana

cretaque Sacrificij Chriſtiani parte Romano ritu precandum videri. Nimirum alia myſtica verba, quibus panis vinumque in Corpus, & Sanguinem conuertitur, retenta tamen ſententia, proferebant ad hunc modum. *Hoc eſt Corpus meum quod pro vobis tradetur. Hic Calix nouum teſtamentum eſt in meo Sanguine, qui pro vobis, & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum.* Hactenus Mariana.

Baron. Quod item refert Baronius tomo 10. ad Annum 918. num. 2. non minore, quam Mariana pondere verborum. Conſentit author Ordinis Diuini officij Gotthici Muſtarabum, quem ſuperius adduxi

Biblioth. PP. ex XV. tomo Bibliothecæ Patrum pag. 777. qui his verbis narrationem ſuam concludit. *A Pontifice confirmatus eſt ordo Miſſæ huius, totiuſque diuini officij, vt in Hiſpania mos inoleuit, celebrandi.* Fateor in his Authoribus Concilij nomen deſiderari. Verum *Conceſſum* Mariana: *Synodum* Baronius, quod perinde eſt, appellat. Itaque Romanum poſſumus hoc ſecundum vocare Concilium.

Confirmat Conc. Trid. Tertium, & quidem ſummæ Authoritatis eſt Tridentinum. Quippe quod ſeſſ. 25. in fine, vbi continuatio ſeſſionis ponitur, titulo 3. iubeat ea, quæ de recognitione, & caſtigatione Miſſalis, & Breuiarij certis quibuſdam Patribus commiſſa fuerant, Sanctiſſimo Romano Pontifici exhiberi, vt eius iudicio, & authoritate terminentur, & euulgentur, quare haud dubium eſt, quin rata habuerit

Pius V. iam tum ea, quæ poſtea à Pio V. Pontifice ſunt decreta. In quibus cum vetus, vti alias diximus, formula lectionum de S. Iacobi in Hiſpaniam aduentu, & prædicatione approbetur, deducitur eam quoque Concilio probatam fuiſſe, quæ ſanè

ſumma Authoritas eſt. Ac hiſce opinor Concilijs nemo obſiſtere, opinor, poterit, aut refragari.

CAPVT XVI.

Probatur ex Breuiarijs.

QVANTA ſit ſacrorum officiorum; quæ Breuiaria dici ſolent, Authoritas non opus eſt, dicere cum nulla in re maiorem, & frequentiorem operam Pontifices, & Concilia poſuerint, quam in ijs ordinandis, & recognoſcendis, & corrigendis, quod ex publicis Diplomatibus, & Decretis ſuper ea re expeditis conſtat. Quare quæ in ijs leguntur, & recitantur, certa ea, & explorata exiſtimari debent, nec illa tantum, quæ Romana ſunt, & publicam fidem habent, ſed illa etiam idonea iudicanda ſunt, quæ Eccleſijs priuatis ſunt conceſſa: nam & hæc authoritate Apoſtolica ſunt approbata, ſiue Bullis expreſſa, ſiue viuæ vocis oraculo confirmata, ſiue conſenſu re comperta tacito: quare quæ hic ex ijs deſumpta ſunt teſtimonia, multum ad cauſam faciunt. Accedit Breuiarij Officij Diurni authoritas.

Hoc argumentum eruditiſſimè tractauit Erze Ximenius p. 1. tract. 3. qui omnes pene Bibliothecas Romanas excuſſit, & ex alijs exempla poſtulauit ad huiuſmodi veritatem confirmandam, cui video nihil addi poſſe. Sed quia Hiſpanica lingua ſcripſit, conſulam communi legentium vtilitati, breuiter numerando, quæ ille latiſſimè perſequutus. De meo ſi quid addam, ſeorſim ponam. Erze Ximen.

Romana Breuiaria Antiqua manuſcripta tria quidem numerat. Duo in Archiuio Sanctæ Mariæ Maioris, tertium in Bibliotheca Sanctæ Mariæ de Vallicella Patrum Oratorij, quæ hodie Eccleſia noua dicitur, quorum lectiones, & Antiphonæ prędicationem Sancti Iacobi in Hiſpaniam teſtantur. Adiecit Breuiarium Capuanum, Piſtorienſe, Lucenſe, Comenſe, in Italia; ex Gallia producit Santonenſe, & quod appellat Gallicanum, quod fermè commune ſit. Ex Dalmatia vnum. Ex Polonia Cracouienſe. Ex Ruſſia Varmienſe. Adiungit alia apud Armenos vſitata, apud Germanos Eiſtetenſe, apud Burgundos Beſuntinum. Iam verò Hiſpana recenſere non oportet, cum nulla ſit ferme Cathedralis Eccleſia, quæ in Breuiario Sancti Iacobi aduentum, & prædicationem non recitet. Nec verò hoc numero comprehenduntur Breuiaria Religioſorum Ordinum, in quibus de hac re fit mentio. Benedictina, Auguſtiniana, Dominicana, Franciſcana, Carmelitana, quæ numerare prolixum eſſet. Ego tria mihi vindico expendenda.

Breuiarium ex Archiuio S. Mariæ Maior. S. Mariæ de Vallicella. Capuan. Piſtorienſe Lucenſe Comenſe Gallican. Cracouienſe. Varmienſe Armenum German. Religioſor. Ordinum.

Primum eſt Romanum, de quo ſatis ſuperius dixmus. Huius ſacra; & communis authoritas eſt. Multorum, & ante Pium V. & omnium vno excepto Clemente VIII. qui Traditionem haud magna, meo iudicio, differentia inſeruit approbata.

Roman.

Secundum eſt Mediolanenſe, ſeu Ambroſianum, quod à Sancto Ambroſio fuit inſtitutum, & concinnatum, quemadmodum teſtatur Sanctus Carolus Borromæus Cardinali in Epiſtola Præliminari: in quod *etſi*, eodem Cardinali teſte, *non-*

Mediolan. S. Carolus Borrom.

nulla

nulla priuatim haud rectè introducta fuerint, ea tamen ille omnia recognouit, & ad calculos reduxit, vt nihil in eo niſi purum, & ad normam S. Ambroſij accomodatum remaneret. Quare ille illud *Ambroſianum, noſtrum* appellat; ita vt hoc pro vero, ac legitimo Ambroſiano haberi debeat. Itaque magna authoritas eſt à tanto viro commendata. Quod autem à Sancto Ambroſio Mediolanenſis Eccleſia officia, & ritus acceperit, non hic tantum modo tradidit Sanctus Carolus, ſed etiam in Concilio Mediolanſi I. ad finem, verbo *de Pœnis* &c.

In hoc ergo Breuiario de Sancto Iacobo ſic legitur. *Iacobus Maior, Apoſtolus Domini, frater Ioannis Euangeliſtæ, filius Zebedæi, cum vniuerſam prædicando peragraſſet Hiſpaniam, &c.* quod à Sancto Ambroſio poſitum eſſe, ex aoprobatione Sancti Caroli manifeſtum eſt, niſi enim ab illo acceptum eſſet Cardinalis, qua erat accuratione, & ſeueritate expungeret. Nemo quippe Borromæo, vel in ſacris tuendis, vel in moribus caſtigandis attentior vſquam, & vigilantior, & ſeuerior extitit. Quemadmodum eius, quæ extant, ſex Concilia teſtantur.

Tertium ſit Breuiarium Hiſpanicum priſcum, quod poſtea Muzarabum, vel Muſtarabum nuncupatum, de quo, vltra illa quæ iam diximus, pauca dicemus. Ante Iſidorum viguiſſe conſtat: nam is illud non condidit de nouo, ſed recognouit, ac ordinauit, ac in meliorem, quam antea erat, formam redegit. Vnde illius patet antiquitas, ac ex ea authoritas. Non pauca de illo ſuperius diximus; idcirco breuiores erimus. Id Breuiarium & Miſſale, *Gotthicum* antea dici conſueuerat, vti

Breuiar. Gothicum, ſiue Muzarabicũ.

Ma-

Mariana Loayſa Liber de Diuin. offic.

Mariana lib. 6. cap. 3. & Loayſa in notis ad quartum Concilium Tridentinum, & liber Diuini officij Muſtarabi tomo octauo Bibliothecæ tradunt. Poſt correctionem autem, ex præſcripto Concilij ab Iſidoro Iſidorianum dictum. Ex quo Arabes in Hiſpaniam irruperunt, quod eo Chriſtiani inter eos habitantes, quaſi captiui vtebantur Muzarabum, ſeu Muſtarabum nuncupatum. Fuit ergo illud *ex antiquo Gotthorum more conſeruatum*, & totum emendatum ab Iſidoro, & caſtigatum: *vt nemo* ſit, quemadmodum habetur in eo libro Ordinis officij Muſtarabici, *qui de illius integritate, ſeu authoritate ambigat, cum à Sanctis inſtitutum ab iiſdem prouectum, miraculosè fuerit confirmatum*. Quod ibi exactius multis argumentis demonſtrat. Et capite 24. hoc officium nunc Muzarabicum, nunc Iſidorianum, nunc Gotthicum appellat. Verba autem, quibus Patres Iſidoro hanc Prouinciam demandarunt excerpere volo, ex cap. 2. Concilij Toletani IV. *Vnus igitur Ordo* inquit *orandi, atque pſallendi nobis per omnem Hiſpaniam, atque Galliam conſeruetur, vnus modus in Miſſarum ſolemnitate, vnus in Matutinis, Veſpertiniſque Officijs*. Idque affirmat Baronius tom. 8. anno 615. numero 68. & 70. & in notis ad Martyrologium XXV. Iulij citat hymnum huius Breuiarij, quod vocat *Toletanum ſecundum regulam Iſidori*. In hoc igitur præter lectiones ponitur hymnus, qui perſpicuè continet aduentum, & prædicationem Sancti Iacobi in Hiſpania his rythmis.

Concil. Tol. IV.

Idem liber.

Iſidorus author Breuiarij Antiqui Gotthici.

Concil. Tol. IV.

Baron.

Breu. Tolet.

Magni deinde Filij tonitrui
Adepti fulgent prece Matris inclytæ

Vtrin-

Vtrinque vita culminis inſignia
Regens Ioannes dextra ſolus Aſiam,
Et læua fratrem poſitus Hiſpaniam.
Et rurſum
O vere digne Sanctior Apoſtole,
Caput refulgens inclytum Hiſpaniæ,
Tutorque nobis, & patronus vernulus
Vitando peſtem, eſto ſalus cœlitus
Omninò pelle morbum, vlcus, famemque, &c.

Integer hymnus affertur in Ordine illo Offcij Muzarabici tomo XV. Bibliothecæ pag. 785. inſertus horis veſpertinis multo longior, & aliquantò diſſimilior ei, quem recentiores habent Authores, ſed nullatenus ſenſu alienus. Liber de ordine officij Muſtarabici,

Adijcit Breuiario pondus, Miſſa, quæ ibi tota ponitur, vti eſt in Miſſali Muzarabicô, propria Beati Iacobi; cuius nonnullæ Orationes ſignificant prædicationem eiuſdem Apoſtoli in Hiſpania, vti eſt illa poſt initium Miſſæ tertia, in qua ſic ad finem. *Ea nobis obtineat adimplere, quæ in ipſo Apoſtolo docente cognouimus.* En mentio expreſſa doctrinæ. Et rurſum poſt oblationem. *Viuant in nobis Domine IESV Apoſtoli tui Iacobi prædicamenta doctrinæ, quibus docemur, &c.* Nec opus eſt alio argumento, quam quòd tota Miſſa in laudem Apoſtoli ſit compoſita. Quorũ niſi ille doctor, & patronus Hiſpaniæ foret, non illa Miſſæ formula in eius ſolemnijs vſurparetur. Quare non immeritò Author Bibliothecæ in prœmio ad officium, & Miſſam Sancti Iacobi, de quibus agimus. *Quia feſtum* inquit *Sancti Iacobi Hiſpaniarum Patroni inter ſolemniora cenſetur, adijciam hoc conſequenter veſperas, & Miſſam, &c.* quod ex ijs nouit

Miſſa S. Iacobi.

Vnius è Bibliotheca Patrum authoris egregium de hac re teſtimonium.

uit Patronum eum Hiſpaniarum eſſe. In cuius honorem, & Miſſa, & Officium ſolemne, ac proprium cantabatur, & recitabatur.

CAPVT XVII.

Falſum eſſe, & commentitium iſtum Commentarium manuſcriptum Toletanum à Garcia Loayſa inuentum perſpicuè oſtenditur.

Commentarius à Garcia Loayſa inuentus quì authorij videri ſuſpectus cæpetit?

EX quo legere hunc Commentarium cæpi: Cæpi autem initio mearum in hac Alma Sapientiæ Academia lectionum, antequam vllum Hiſpanum Authorem (iuratus dico) legiſſem, ſuſpicatus ſum fœtum adulterinum, ac ſuppoſitum eſſe. Nolui tamen ſtatim ea de re diligentius inquirere, quòd vellem etiam eius integra Fide aduentum Sancti Iacobi in Hiſpaniam *ſuſtinere*, quod videram nihil in eo, & ſi germanus fœtus Roderici Ximenij eſſet, inueniri, quod à Traditione dimouere, acutum, & accuratum lectorem poſſet. Moueri me item ſiui authoritate tantorum virorum Loayzæ, ac Baronij, & quem permagni facere ſoleo, Spondani, & Seuerini Binij, quem iuxtà æſtimo. A quo illud manuſcriptum recipitur, & citatur in eo loco Decreti Gundemari: & notis ad Lateranenſe illud Innocentio III. Concilium tom.3 p.2. pag. 699. Itaque nolui initio

initio repugnare, ne aut viderer eos deterrere, & illos Epiſcopos imitari, quos aiunt ad conſpectum Ximenij tacuiſſe, & timuiſſe, aut nobiliſſimorum Scriptorum Fidei, niſi magnis, idoneiſque argumentis detrahere. Ac videbatur mihi multo maius me operæ pretium facturum, ſi quæ eos mouerant à ſententia concepta recedere, argumenta refellerem, quàm ſi ea negando tollerem, perinde, ac cum ijs luctari non poſſem. Nunc poſtquam, opinor, apparuit omnia à me ſatis eſſe confutata: nec quicquam ex ijs veritati communis ſententiæ obeſſe, in animum induxi totam hanc machinam, qua nitebatur dubitationis ędificium, prorſus euertere.

Cur author non ab initio ſtatim illum improbarit?

Duo mihi propono. Alterum hoc inſtrumentum tot mendis ſcatere, vt Fidem nullam mereatur. Alterum illud Roderici Ximenij opus eſſe non poſſe.

Scopus Authoris.

Antequam ad menda, & errores veniam. Animaduerto de hac lite nullam prorſus in hiſtoria, & *actis Lateranenſis* Concilij mentionem fieri. Quo certe nomine iam ſuſpectum videri incipit. Cum cauſa tam grauis fuerit, vt ſilentio præteriri vix poſſet. Cum præſertim tot aliarum minoris momenti rerum in eo expreſſa veſtigia repe- riamus. At non erat, dicet quiſpiam, locus, aut occaſio ea de re, aut ſtatuendi aliquid, aut loquendi. Erat certe, nempe cap. V. vbi de dignitate Patriarcharum Græcorum, & in VI. vbi de Metropolitanis, & Concilijs, quæ ab ijs celebrari debent, & in VII. in quo de correctione exceſſuum, quæ ab Epiſcopis in ſubditos exercenda eſt agitur. Et in alijs in quibus ſimilia tractantur opportuna

Infirmatur I. ex eo quod nulla in Lateranen. Concil de illo mentio.

Acta in Concilio Lateranenſi.

tuna ſe dabat huius Controuerſiæ componendæ occaſio : quæ cum palam coram Pontifice, vti ſcribitur, tanta contentione agitaretur, digna erat quæ ſibi aliquam Concilij partem vindicaret. Ac ſilentio res tota inuoluitur. Itaque de Prædicatoribus, de Magiſtris ſcholaſticis, de Capitulis Monachorum, de electione per ſcrutinium, vel per compromiſſum, de iuſtitia ſæculari, de formula litterarum Prædicatorum, de cura viduarum, deque habitu illarum; multus ſermo. De re tàm graui, ne verbum quidem fit in eo Concilio. Ac ne obijcias cauſam huiuſmodi eſſe controuerſam, atque adeo prætermiſſam, ne ſtrepitus iudicij curſum rerum in Concilio grauiſſimarum turbaret: Occupo. In eo cauſa Stephani Archiepiſcopi Cantuarienſis accuſati de ſuſpicione proditionis in Regem, & contemptus Cenſurarum ab Innocentio ei impoſitarum, & ob id in eodem Concilio puniti lata in eum, ſiue confirmata ſuſpenſionis ſententia. Verum graues, opponunt, & quæ Regium, & Pontificium ius attingebant Controuerſiæ illæ fuerunt. Eſto. Quid tamen reſpondebunt ad aliam quæ ibidem acta eſt, cauſam, de confirmando in Eboracenſi Eccleſia, ad quam euectus fuerat a Canonicis Simone Langetona, quem Innocentius III. noluit confirmare, ſurrogato Vvaltero de Trai Epiſcopo Vvigonienſi, qui Virginitatis florem illibatum retinere ferebatur. Quæ duæ cauſæ apud Binium in notis, citato Matthæo Paris, reperiuntur. De noſtra autem controuerſia altiſſimum ſilentium eſt, cum in re tanta verſaretur. Hæc, & alia ſuſpectum mihi facere cœperunt iſtud inſtrumentum Toletanum. Non tamen idcirco

Leuiores cauſæ in eo Concilio ſunt propoſitę.
Binius
Matth. Paris

circo mihi perſuaſi, niſi poſteaquàm ea meo ſuſpicio altius inſedit animo, ac eadem coegit reliqua ſcrupuloſius inquirere.

Cuiuſmodi ea fuerit, pando.

In ipſomet principio error eſt Chronologicus. Ait. *Anno Domini ducenteſimo ſupra milleſimum celebratum eſſe Concilium*. Quindecim annis antè poſuit: nam illius annus fuit milleſimus ducenteſimus decimus quintus, qui incidit in annum decimum octauum Innocentij III. quem creatum fuiſſe conſtat anno 1198. Vnde nouus error exiſtit, tertio anno eius Pontificatus habitum fuiſſe Concilium: non autem XVIII. vti Commentarius prodit. Grauior eſt alter error, cùm in diſceptatione cum Braccharenſi Epiſcopo ait. *Orta diſcordia inter Paſchalem Papam II, & Otthonem Imperatorem*. Ecquis hic Ottho Imperator? Henricus fuit Rex Germaniæ Imperator IV. Tertij Filius, qui ſuper inueſtituris cum tribus Pontificibus Paſchali, Gelaſio, Calliſto, omnibus nomine ſecundis, Armis diſceptauit. Hic ſeries incipit errorum. Affirmat Burdinum tempore Paſchalis ſedem Romanam ope Henrici Imperatoris inuaſiſſe, quod omnino alienum eſt à veritate: nam Paſchali viuo, non Burdinus, ſed alij tres Antipapæ reſtiterunt, qui Clementi Pſeudopontifici tertio vnus poſt alium ſucceſſerunt, & Rempublicam Chriſtianam turbarunt. Hi autem fuere Albertus Atellanus, Theodoricus Romanus, & Sylueſter IV. dictus. Nullus Burdinus, quem mortuo iam Paſchali, Henricus Gelaſio obſtruſit. Hunc alius maior ſequitur error. Sequitur enim *Huic*, id eſt *Gelaſio, ſuccedit Alexander III.* Mira

Infirmatur II ex erroribus.

Error temporum.

Error perſonarum.

Error in ſucceſſione Pontificum

ſupputatio. Dormiebat hic Author. Inter Gelaſium, & Alexandrum tertium, octo Pontifices intercurrerunt. Calliſtus II. Honorius II. Innocentius II. Cœleſtinus II. Lucius II. Eugenius III. Anaſtaſius IV. Adrianus IV. Cui ſurrogatus Alexander III. Et tamen huic viro credidit Baronius, & Loayza: alijſque id perſuaſerunt. Iam vero lapſus ſequens turpiſſimus. Affirmat *Alexandrum III. com Otthone Imperatore in gratiam rediiſſe, & pacem inter Imperium, & Eccleſiam Romanam conſtituiſſe.* Riſi cum hæc legi, videtur mihi Author huiuſce bellulі Commentarij non àlios in ſerie Imperatorum niſi Otthones agnouiſſe; qui cum quatuor tantùm, & omnes multò ante Paſchalem, & Alexandrum fuerint, ille tamen eos quadraginta vult efficere, niſi forte in vitam reuocare vult eos, qui iam mortui fuerant. Pax inter Calliſtum II. & Henricum illum Imperatorem IV. & Regem Germaniæ V. facta fuit; idque conſtat ex vita vtriuſque. Annales idem conſulat, ac ita rem habere comperiet. Nihil enim in hiſtorijs tritius, nihil extra hiſtorias, vt ita dicam, conſtantius. Id Sugerius, id Tyrius, id Pandulphus, id Author Chronici Caſſinenſis, id Rogerius, id Genebrardus, id Baronius, id Spondanus, id Platina, id Ciaconius, id Seuerinus Binius, alijque teſtantur. Id ex Concilijs Rhemenſi, & Lateranenſi ab eodem Calliſto celebratis conſtat. Ac extat in fine Concilij Lateranenſis in Biniana Collectionis formula Reſtitutionis Inueſtiturarum ab Henrico Imperatore facta, quæ incipit. *Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Auguſtus pro amore Dei, & Sancta Romana Eccleſia, & Domini Papa*

Error in ſerie Imperatorum

Sugerius
Tyrius
Pandulph.
Roger.
Genebrard.
Baron.
Platina
Ciaccon.
Binius
Later. Conc.

Cal-

Calliſti, non Alexandri; qui poſt annos quadraginta Pontificatum accepit. Poſt illam, ibidem ponitur alia forma item ſolemnis Conceſſionis a Calliſto Papa eidem factæ, qua permittit, vt ipſe Electionibus Epiſcoporum, & Abbatum Teutonici Regni, quæ ad Regnum pertinerent, intereſſet, ac exortam inter eos diſſenſiones, citra vim tamen, & ſimoniam componeret. Hæc incipit *ita Calliſtus ſeruus ſeruorum Dei dilecto filio ſuo Henrico*. Nec in his tantum Concilijs res hæc acta, ſed in alijs etiam Germanicis agitata fuit. Vvitembergenſi nimirum, & Vvormatienſi: Abbate Vrſpergenſi idoneo, quòd ijs intereſſe potuit, Authore. A quo iſta petijt Seuerinus Binius in notis ad Concilium illud Lateranenſe. Ac neſcio vtrum magis mirer hunc hominem, quiſquis ille demum ſit, tam enormiter erraſſe: an tot viros doctiſſimos tam enormiter errantem non vidiſſe? cum nemo eorum non contrarium in ſuis Commentarijs ſcribat, ac ſentiat. Quamquam ego quidem ſuſpicer, hunc Authorem hæc gloſſemata ex induſtria finxiſſe, & in ea ſcrinia immittere voluiſſe, vt poſteros in fraudem induceret. Ac illud mirabile puto, tam ei feliciter ſucceſſiſſe, vt eruditiſſimis, ac vigilantiſſimis hominibus impoſuerit. Quid enim quæſo abſurdius, quam contentiones Calliſti, & Henrici cum diſſenſionibus Alexandri III. & Friderici primi turbato rerum, ac temporum ordine confundere: nec tamen ex iſta peruerſitate cæterarum rerum falſitatem deprehendi. Suboluit certè mihi, vel primum liminares paginas euoluenti, quanta hic Mephitis ineſſet. Intonabat quippe meis auribus illud apud Otthonem Friſingenſem diſtichon,

Vvitembergenſe. Vvormat. Abbas Vrſpergenſis.

Otho Friſingens.

Et-

Ecce Caliſtus bonor Patriæ, decus Imperiale
Nequam Burdinum damnat, Pacemque coronat.
Sic enim decantata carmina ad legem metri accommodo: dum bonus hic Author hiſtoriæ leges violat. Ac puto eum, quòd in nomen Otthonis Cancellarij Imperatoris Henrici III. incidit, eum pro Imperatore accepiſſe. At hic Ottho Cancellarius erat, & in Epiſcopatum Bambergenſem loco Ruperti defuncti ſurrogatus ab eodem Imperatore, ac depoſitus, Romam ſupplex, & facti pœnitens venit, & iterum Paſchali II. qui tunc Pontificatum gerebat, iure, ac legitime ſedi Bambergenſi præpoſitus. Niſi fortè ſi legenti hiſtorias eius temporis Othonis Friſingenſis Hiſtorici nomen occurrit, eum Imperatorem exiſtimauit: ita vt Othonem Hiſtoricum pro Otthone Imperatore vſurparit. En cui crediderunt viri ſummæ, & authoritatis, & fidei! ſi iſta in Concilio Ximenius effutijſſet, ab Innocentio doctiſſimo Pontifice, & à toto Cardinalium, & Epiſcoporum cætu refutaretur, & ab alijs auditoribus ſibilo exploderetur. Quod ſi hæc ibi erat, aut picta in tabulis, aut texta in aulæis hiſtoria, illa intendentem in eam digitum, vel muta refutaret.

Occaſio erroris aperitur.

Tametſi hoc leue ſit: ait Burdinum *relegatum fuiſſe in Monaſterium Calabriæ Sanctiſſimæ Trinitatis Scapili, in cuius caueam incluſus fuit Burdinus.* Conſtat eum primum in Caſſinenſe Monaſterium miſſum, & ibi in Arce, quam Abbas cuiuſdam Monaſterij exſtruxerat cuſtoditum ſuæ inſolentiæ pœnas dediſſe, ad ordinem Monaſticum compulſum, & ibi conſenuiſſe. Quod narrat Tyrius, & Pandulphus, & Author Chronici Caſſinenſis lib.4.

Alius lapſus ſed leuior.

Tyrius Pandolph. Author hiſt. Caſſinenſ.

lib.4.cap.70. Vnde ex ijs Baronius, & Spondanus ſcribunt in Campaniam relegatum. Verum inde poſtea educi, & in illud aliud *Trinitatis Caueam* dictum, in quo claudi, & cuſtodiri ſoliti Antipapæ deduci potuit. Illius vero Monaſterij mentio fit c. 1. de offic. Iudic. & c. Inſuper de Teſtam. Huius rei Authores ſunt Frater Antunius Yepes tom. 6. pagin. 107. & D. Rodericus Acugna in ſua de Archiepiſcopis Braccharenſibus Hiſtoria, in vita Mauritij Burdini.

Cap. 1. de officio Iud. Cap. Inſuper de teſtam. Fr. Antonius Yepes. Acugna.

Quid hoc homine faciemus? qui tam fidenter ait: his obiectis, & aſpectu picturæ erubuiſſe Braccharenſem Epiſcopum, virum ſplendore ſanguinis, litterarum peritia, rerum experientia, excellentem: quem qui ex hiſtorijs Luſitaniæ norit, is demum intelliget, quam hic ſit ſcriptor nugax, & ineptus. De quo poſtea redibit ſermo. Nunc enim id ſolum ago, vt errores in Hiſtoria prodam, eumque ſuiſmet paſſibus perſequar, & è veſtigio demoueam.

CA

CAPVT XVIII.

Alij errores in ea enarrationis parte, quæ ad Compoſtellanum Epiſcopum pertinet, commemorantur, & confutantur.

INITIO quod ait ore Compoſtellani Epiſcopi, non ipſe, opinor, vir in Hiſtoriis præſertim Patriæ verſatus, diceret. *Sanctum Iacobum in Hiſpania prædicantem infinitos ad fidem conuertiſſe*. Nam vt multos conuerterit, non ij eum numerum effecerunt, vt dici de ijs infinitos fuiſſe poſſit. Imò & verò ſimilius puto, paucos ab eo eſſe conuerſos, quòd video à pluribus, & grauioribus Authoribus tradi.

Paucos S. Iacobus in Hiſpania conuertit.

Sed excuſari poteſt affectus Præſulis Compoſtellani. At quomodo excuſabitur, quod ſequitur, & Roderico Ximenio tribuitur? Nempe vt antiquitatem Compoſtellanæ Eccleſiæ euerteret, dixiſſe. *Antiquitas iſta centum, & nouem annorum ſpatio continetur*. Cum ea plura ſæcula continuerit. Nam anno 801. poſt inuentum Sancti Iacobi Corpus à Leone III. Alphonſi Regis precibus, & Caroli Magni Authoritate Irienſis ſedes Compoſtellam translata eſt. Non igitur centum, & nouem annos, ſed tria fermè ſæcula numerabat. Sic enim à Leone III. ad Innocentium III. interfluxerunt.

Labitur in Chronologia.

Quo tempore tranſlata ſit Irienſis ſedes Compoſtellã.

At

At loquitur de erectione ſedis Metropolitanæ quæ faciebat ad cauſam. Hæc autem nonniſi à Calliſto II. facta eſt, à quo *Eccleſia Compoſtellana Metropolitano iure* (Verba ſunt Marianæ lib.10. cap.12. *aucta eſt*) *Atque Emeritenſis Eccleſiæ, quæ in ditione Maurorum erat, iura, & poteſtas omnis, quò maior eſſet Authoritas Compoſtellam tranſlata.* Quod iam dixerat antea lib.7. cap.10. vbi obſeruauit, tunc etiam à Bracharenſis Eccleſiæ, cui erat obnoxia, legibus ſolutam. Accipio, ſed haud video conſtare ſupputationem. Nam quo anno prærogatiuam illam habuit, is fuit annus 1124. Caliſto Papa. Annus autem eius diſceptationis Innocentio Pontifice habita fuit iuxta numerum, initio narrationis poſitum 1124. ab anno autem 1124. ad 1200. intercurrerunt Anni 74. non autem 109. Quod ſi recurrat ad ſummam quæ in fine habetur, & eſt iuſta, & Germana, ideſt Annum 1215. quo anno congregatum Conciliū, pauciores adhuc anni intercedunt, qui ſummam conficiunt 91. Itaque ratio numerorum fallax, narrationi ſimilis deprehenditur. Hic eſt primus error.

Mariana Ximenio contra dicit.

Errat in ſupputatione tēporum.

Secundus, & grauior, & abſurdior. Affirmare *ad ea vſque tempora, ideſt Calliſt. II. Oratorium quoddam admodum paruum eſſe locum illum, in quo tunc* (cum illa dicebat) *ſita erat Compoſtellana Eccleſia.* Hoc quàm ſit falſum manifeſtè apparet. Cum enim ea Eccleſia ab Alphonſo Caſto Rege ibi ædificata Cathedralis à Leone Pontifice inſtituta fuerit, & multis prædijs locupletata, auctaque reditibus, non paruum eſſe, diciue Oratoriū poteſt, idque Ioanne Mariana Authore conſtat lib.

7. cap. 10. cum præſertim (verba ſunt huius Scriptoris) *eò confluerent ex Italia, Gallia, atque Germania, ex propinquis, & vlterioribus, ex longinquis gentibus quam plurimi*. Quod item tradit

Baronius
Spondanus
Biſciola

Baronius Anno 816. & cum eo Spondanus, & Biſciola. Verum vt ea Eccleſia opibus magis, & fama, quam mole auguſtior fuerit, certè conſtat Rege Alphonſo Magno intra ſeculum, ideſt anno 876. Authore inſtauratam, & amplificatam, & in auguſtum Templum conuerſam: ſic enim

Mariana

Mariana libro 7. cap. 18. *Templi Compoſtellani ſtructuram* obſerua, Templum dici, nō Oratorium: *nouis ipſe operibus auxit*. & infra, *Templum ergo Compoſtellanum ſolemni cæremonia ſacratū. Nonis Maij die lunæ: tertio aureo numero, vt Sampyrius Aſturicenſis eſt Author, hoc eſt, anno octoginteſimo ſeptuageſimo ſexto*. Huc pertinet *Ara maxima nomine Saluatoris: dextra læuaque duæ Aræ, prior Petri, & Pauli nominibus: poſterior Ioannis Euangeliſtæ dicata: nam quæ tegebat Iacobi Apoſtoli oſſa, &c.* non potuit eſſe anguſta, quæ Altaribus abundabat, & à Magno Alphonſo ædificari iuſſa. Itaque de eodem Templo rectè Mari-

Idem

ana eodem loco. *Templum Compoſtellanum, quod magnis cæmentis, & molibus ad culmen peruenerat, grauiſſima cæremonia ſacratum eſt*. Videat ergo

Compoſtellana Eccleſia quàm antiqua

author Commentarij, quo iure, qua fronte dixerit paruum quoddam Oratorium locum illum ad vſque Calliſti II. ætatem fuiſſe, cum ante ducentos, & eò amplius annos Templum magnificum, & auguſtum conſtet extitiſſe?

Tertius eo turpior exiſtit, quòd in re domeſtica Toleti, & à pueris cantata admittitur. Hunc

ipſiſ-

ipſiſmet conceptis ab eo Authore verbis volo proponere *Nobilior* inquit, *eſt, ac illuſtrior appellatio Beatæ Virginis, cuius inuocatione, & nomine Eccleſia quæcunque auguſtiſſima, & celeberrima efficitur, & potiſſimum Toletana, quam ipſa Virgo Sanctiſſima præſentia ſua inuiſere voluit, atque dignata eſt, cum quondam Beato Ildelfonſo Archiepiſcopo Toletano Sacrificium Domino offerenti, & omnibus præſentibus, qui diuinum audiebant officium, ſe viſibilem præbuit.* Nihil eſt tam certum, quam tempus iſtius apparitionis fuiſſe nocturnum, dum matutinas in peruigilio diei Expectationis partus Beatiſſimæ Viiginis in Choro cum Canonicis preces perſolutum iret, & ante Arã procumberet, vt eas ex more recitaret: idque in officio eius dici omnes Eccleſiæ Hiſpaniarum canunt. Itaque in eius lectione quinta. *Cum enim, inquit Ildelfonſus ad preces matutinas Expectationis Beatæ Mariæ in Eccleſiam nocte deſcenderet, Comites eius in Eccleſiæ limine fulgore quodam repentino deterriti retroceſſerunt. Ille vero intrepidus ad Aram progreſſus Virginem ipſam vidit, & adorauit, ab eademque veſtem, qua in ſacrificijs vteretur, accepit.* Idem referunt officia inſtituta pro die Feſti Sancti Ildelfonſi, & Feſti Deſcenſionis Beatæ Virginis, quæ in diem 23. & 24. Ianuarij incidunt: in quibus eadem Hiſtoria enarratur. *Nocte*, inquit Breuiarium, *intempeſta deſcendit de Cœlo Sanctiſſima Virgo Virginum, Angelorum comitata Choris, & in Cathedra vnde Ildelfonſus ad populum verba facere conſueuerat, diuina quadam, & omnem captum excedenti forma, ac Sole ſplendidior*

Labitur in Apparitione Beatæ Virginis in Toletano tẽplo.

Breuiaria Hiſpanica Ximenium refellunt.

Eadem alijs in locis.

conſedit, vniuerſo Templo ſuauiſſima odoris fragrantia, & cœleſtis luminis magnitudine completo. Quo Ildelſonſus ad nocturnas preces de more veniens, omnibus perterritis, & pauore dilapſis, ipſe rei quidē nouitate initio perculſus, ſed dicendi ſpe erectus, & deuotæ mentis humilitate ſecurus, gaudio ſimul, & reuerentia tremens humi ſeſe ante pedes Virginis ſupplex àbiecit. Quem ſic affata Virgo eſt. Propera in occurſum ſerue Dei, & accipe munuſculum de manu mea, quod de theſauris Filij mei tibi attuli. Et ſimul hæc dicens veſtem Ildeſonſo induit cœleſti opificio contextam.

Iulian. Pomerius. Eius item rei Author eſt locuples, Iulianus Pomerius Toletanus Diaconus in Prœmium ad libros laudis Intemeratæ Virginis Mariæ Ildefonſi, quod præponitur eius operibus, quæ habentur tomo 7. Bibliothecæ Patrum, vbi latè, & eleganter commemorat, quid in ea viſione acciderit, & ait, *Ante horas matutinas ſolito more ad obſequia Deo peragenda conſurgens, vt vigilias ſuas Domino conſecraret*, &c. Et infra. *Ante Altare Virginis procidens reperit Dominam in Cathedra ſedentem*. Et mox *ſerue Dei chariſſime accipe munuſculum*, &c. quem Authorem citant, & probant Baronius ad anno 657. & Bellarminus lib. de ſcript. Eccleſiaſt. Nemo eſt, aut ex Hiſpanis, aut ex externis author quin de nocte miraculum contigiſſe confirmet, præter iſtius, Commentarij conſarcinatorem. Loayza poſtquam id affirmaſſet in notis ad Concilium Toletanum X. ait id fuſius tradi in officijs Eccleſiaſticis Eccleſiæ Toletanæ *à Sanctiſſ. Domino Noſtro approbatis* contineri.

Species B. Mariæ Virginis Ildelfonſo apparentis.

Baronius Bellarminus

Loayza.

In

In hos errores nullus, vel mediocris eruditionis Author incideret: quos neſcio qui non obſeruarunt, tam vigilantes, & accurati authores. Ego non ijs ſum eruditior, aut ſolertior: ſed alia tamen deprehendo, quæ ſuſpectum mihi hunc authorem faciunt: & præuaricationis reum. Nam dum Primatui Toletano fauet, tot inſerit à veritate aliena, vt Fidem in cæteris eleuent: Itaq; minime credendum, eum qui in multis, perſpicuiſque mentitur, in alijs obſcuris vera dixiſſe.

Animaduerto igitur, cum iacere quędam quaſi caſu, quæ indicant animum maleuolum, & Hiſpanis rebus infeſtum, vti cum ait de Eccleſia Compoſtellana: *Vt Peregrinantium deuotio, qui ob reuerentiam Beati Iacobi cuius Corpus ibidem creditur eſſe ſepultum, in melius ſemper creſceret.* Pupugerunt me illa verba. *Cuius Corpus ibidem creditur eſſe ſepultum*: quòd dubitantis ſunt, & ad opinionem rem certiſſimam reijcientis: quaſi vero fide tantum vulgari, id æſtimandum ſit, non certa traditione, & veritate tenendum. Quid enim quæſo certiùs, quam Corpus Sancti Iacobi Compoſtellæ aſſeruari. Cum id præter fidem Hiſtoriarum, & authoritatem Breuiariorum, & Priuilegia Pontificum, peregrinationes eò ab omnium penè Nationum Principibus tum viris, tum fœminis, præter alios omnis ordinis hominum ſuſceptæ, teſtentur. Inter quas illa habenda eſt celeberrima, quam Regina Sancta Portugalliæ Eliſabetha inſtituit, quæ omnia illa, & interna Templi, & circumuicina loca piam quadam curioſitate luſtrauit, & in omnibus ſuæ reliquit impreſſa Religionis, & liberalitatis veſtigia. Eam

Infeſtus animus ſcribentis de S. Iacobo.

De illius ſepultura corporis ambigentis more loquitur.

Peregrinatio S. Eliſabethæ Compoſtellã.

la-

Bzouius
Vaſconcellus

latiſſimè deſcribit Bzouius in Annal. Anno 1336. & Vaſconcellus in Anacephal. Regum Luſitaniæ, & paſſim in Hiſtorijs Luſitanijs inuenitur.

Traditionem traditione vult euertare.

Aliud obſeruo eiuſdemmodi. Semel ait ex ſententia Compoſtellani. *Diuum Iacobum plurimos conuertiſſe*, & rurſum nomine Monialium, *paucos admodum ab eo fuiſſe conuerſos*, quod aſtutè velit Traditionem Traditioni opponere & cum vna alteri ſit contraria, vtramque euertere. Nam Compoſtellanus nonniſi ex Traditione dicebat plurimos; & Moniales, nonniſi ex eadem pauciſſimos eſſe conuerſos. Vnde pugnare ſecum Traditiones, hic quicunque eſt Author, quaſi aliud agens monſtrabat. Hæc autem non ab homine amico, ſed ſuſpecto videntur profecta. Certè ſi quis inimicus vellet fraudulenter detrahere, ſic opinor, ſcriberet. Vnde præuaricatorem optimè appellaui.

CA-

CAPVT XIX.

Hanc ratiocinationem Roderici Ximenij nullatenus eſſe, idoneis argumentis ſuadetur.

FATEOR multum mihi ac ſeriò huiuſmodi Hiſtoriam pendenti; & inuenta ſibi argumenta, cum ijs, quæ in ſcriptis de Rebus Hiſpaniæ Roderici Ximenij legendo reperiebam, & omnia inter ſe diligenter; & accuratè conferenti, illud demum viſum, non potuiſſe Ximenium ea argumenta ratiocinando proferre, quæ omnino à ſuis hiſtoriarum monumentis diſcrepabant. Itaque ſtatuo, quæ me mouerunt, & nunc mouent ad hoc ſentiendum, exempla collatis inter ſe locis proferre, vt perſuadeam Lectoribus, hoc gloſſema ſuppoſitum, ac nothum eſſe; qua ratione Baronium ad nos reuocabimus, vt nobiſcum ſentiat, cum Ximenij illud opus, quod nutare in prima ſententia coegit, non eſſe monſtrabimus.

Author manuſcripti Cõmentarij Toletani non videtur eſſe Ximenius.

Prima ſit de Burdino hiſtoria: de quo in libro 6. cap. 28. ſic ſcribit, inſerens Epiſtolam Gelaſij Papæ II. ad Bernardum Toletanum, vti vocat, Primatem, & cæteros Hiſpaniarum Epiſcopos. *Non latere credimus fraternitatem veſtram, qualiter frater noſter Mauritius Bracharenſis Epiſcopus ſententiam diu habuerit, & quomodo Eccleſiam ſuam dimiſerit, & quomodo Regi excommunicato adhæſerit. Illud etiam, vt opinamur, noſtis, quod à*

In hiſtoria Burdini non cõſentit cum Authore manuſcripto Toletano Ximenius.

Prædeceſſore noſtro Sanctæ memoriæ Paſchali Papa in Concilio excommunicatus ſit, & quod Braccharenſi Eccleſiæ mandatum, vt Paſtorem ſibi alium prouideret. Nunc idem per Regis tyrannidem poſt longum electionis meæ ſpatium in cubili Sanctæ Matris Eccleſiæ ſe ingeſſit. Ideoque fraternitati veſtræ mandamus, vt ad electionem in Braccharenſi Eccleſia faciendam ſolicitudinem charitatis debitæ operam præbeatis. Ipſum vero Mauritium excommunicatum, periurum, & Matris Eccleſiæ conſtupratorem cæteris Eccleſiæ filius publicetis. Datum Caietæ octauo Kal. April. Tum ille. *Et idem Papa in Gallias nauigans Lugduni deceſſit in Pontificatu vix anni curriculo expleto, & huic ſucceſſit Calliſtus II. qui erat Archiepiſcopus Viennenſis frater Raymundi Comitis Patris Aldelfonſi Imperatoris Hiſpani. Hic mox pace firmata debitæ reſtituitur dignitati, & Burdinum iam ab Imperatore abiectum Sutrij concluſit obſeſſum, & captum, & depoſitum in Monaſterio Sanctæ Trinitatis de Caueæ captiuitati perpetuæ mancipauit. Qui ibi vixit fere vſque ad tempus Eugenij III. à quo fuit quartus Dominus Alexander. Vnde & in ſecretario Palatij Conſtantiniani hi verſus reperiuntur conſcripti.*

Ecce Caliſtus honor Patriæ, decus Imperiale
Nequam Burdinum damnat, pacemq; reformat.

Epiſtola Gelaſij II. ad Bernardum Toletanum Primatem dictum.

Roderici Ximenij de Mauricio Burdino narratio diuerſa à Cómentario Toletano.

Contraria hæc protſus ſunt ijs, quæ in Concilio Lateranenſi de Burdino, & Alexandro Papa dicta finguntur à Ximenio, & ad ea refutanda appoſita: his enim nos paulo ante illam fabulam confutauimus. Non erant igitur illa dicta Ximenij: ſed ſimiæ alicuius, qui illius perſonam voluit aſtutè agere. At quam ineptè egerit, nos hi-

Author manuſcripti Toletani vothus & commentitius.

ſce prodendis monſtramus.

Secunda eſt illa pars ratiocinationis aduerſus Compoſtellanum, quæ refertur *ad Oratorium paruum*, illis verbis conſtans. *Nam ad hæc vſque tempora Oratorium paruum erat locus ille, in quo nunc ſita eſt Compoſtellana Eccleſia.* Refellamus hoc verbis Roderici lib.4 cap.15.vbi de Rege Alphonſo Magno, qui floruit tribus ferme ſæculis ante Ximenium: *Eccleſia Sancti Iacobi, quæ erat terrea quadris lapidibus, & columnis marmoreis reparauit.* Quì ergo potuit *paruum* illud *Oratorium* dicere Ximenius? verum eſt illum tacuiſſe de Templo antè ab Alfonſo Caſto extructo. Sicut etiam ſiluit de inuento Iacobi Apoſtoli corpore, quod non probo. Illud autem etſi aliàs minuat fidem authoris: non opus eſt ad ſententiam fidei refellendam: ſatis enim his verbis Ximenij confutatur.

Obiectio de Paruo Oratorio ex ſcriptis Ximenij refellitur.

Tertia ſit narratio de tempore Deſcenſus Beatæ Virginis in Eccleſiam, & Sedem Toletanam, quando illam ſacram caſulam de theſauris Filij ſui Ildelfonſo attulit. Perſpicue enim ſcribit Ximenius de nocte id ad matutinas preces ſurgente, & ingreſſo ad eas recitandas in Templum contigiſſe. Verba ſunt. *Vnde, & in feſto Beatæ Virginis, quod in Hiſpania XV. kalen. Ianuarij celebratur, cum ipſe ad Matutinale Officium comitatus Clero, & populo, & multis luminaribus ad Eccleſiam comendiſſet, apparuit ei Beata virgo Choris Apoſtolorum, Martyrum, ac Virginum comitata, & ſic ait. Quia Fide certa, conſcientia pura, lumbos tuos Virginitatis cingulo cinxiſti, & labijs tuis gratia diffuſa virginitatis meæ gloriam in cordibus*

Hiſtoria de Virginis Mariæ ad Ildefonſum deſcẽſu aliter narratur à Ximenio.

fidelium depinxiſti, accipe veſtem de theſauris Filij mei, vt etiam in hac vita veſtimento gloriæ adorneris, & ea in meis, & Filij mei ſolemnitatibus veſtiaris. Et his dictis cum glorioſo cœtu, quo apparuerat ad gloriam Filij remeauit.

Hæc tria ſint ſatis ad faciendam tituli fidem. *Nullatenus illam ratiocinationem Roderici Ximenij eſſe potuiſſe.* Mitto alia minora; vnum illud animaduerto nuſquam reperiri in Ximenio locum, in quo neget Sanctum Iacobum in Hiſpaniam veniſſe. Imo inter narrandum multa inſerit, quæ ſignificant eum communem Hiſpaniarum ſententiam Breuiarium tradidiſſe. Nam lib. 4. cap. 3. recognoſcit, ac probat Gotthicum, quod ab Iſidoro fatetur compoſitum, & *Muzarabum* dicitur, de quo affirmat in ſex Paræcijs Toletanis recitari, ac celebrari, in quo ſæpe, ac perſpicue dicitur S. Iacobum in Hiſpania fuiſſe. Ex quo apparet notum eſſe Ximenio eius aduentum, & fidem ei precando facere. Huc ſpectat quod de Rege Ranimiro, & Victore apud Clauigium lib. 4. cap. 13. commemorat. Deque pietate Alfonſi Magni erga eundem, ac eo nomine inſtauratam Eccleſiam proximè dicimus. Itaque neminem qui hæc ſeriò velit expendere ſibi perſuaſurum exiſtimo, illam ratiocinationem Roderici Ximenij eſſe: ſed fucum ea nobis quempiam ſycophantam facere voluiſſe. Cuius certè genium redolet, tam illa eſt audacula, & aſtuta: tam dolo plena: rurſum tam putida, & inepta, vt qui veræ, & ſolidæ eloquentiæ guſtum habent, non poſſit eam non modo concoquere, ſed ne dum etiam deglutire.

Ximenius in ſuis ſcriptis nuſquam negauit aduentum S. Iacobi in Hiſpaniam

Non eſſe illud manuſcriptum Ximenij concluditur.

CA-

CAPVT XX.

Tandem ea narratio maioribus argumentis apertæ falſitatis conuincitur, & prorſus refellitur.

QVAMVIS ſatis, ſuperque monſtratum ſit duobus proximis capitibus manuſcriptum hoc Toleti à Loayza repertum tot mendis ſcatere vt fidem non mereatur, Volo tamen omnes illius vires eneruare, ita vt nullius omnino authoritatis eſſe appareat.

Igitur tota hæc machina narrationis ficta fabula eſt: nam inducit in ſcenam ad litem agitandam quatuor Archiepiſcopos, Bracharenſem, Compoſtellanum, Tarraconenſem, Narbonenſem, eoſque cum Toletano committit: & ita rem actam deſcribit, vt hic victor euaſiſſe videatur. Quod Loayza ex euentu ibi perſpicuè collegit, perinde ac Toletano Ximenio fuerit lis adiudicata. Hæc prorſus falſa, & commenta ſunt. Nam Compoſtellanus in quem præcipuè tempeſtas, quæ Sanctum item Iacobum inuoluit, detonat: illi Concilio non interfuit. Ac ita memoriæ produnt notiſſimi tres rerum Hiſpanicarum Scriptores Garibay tomo 2. lib. 12. cap. 38. Zurita tom. 1. lib. 2. cap. 67. & Mariana lib. 12. cap. 4. Anno 1215. Imo, & hic negat adfuiſſe Narbonenſem, & ſolum producit in arenam Bracharenſem, & Auſetanum Epiſcopum, Procuratorem Tarraconenſis. Sic enim ſcribit. *Roderici orationem cum Bracharenſis qui aderat, & Auſeta-*

Falſitas narrationis ex lite adiudicata in ea Ximenio perſpicuè oſtenditur.

Garibay Zurita Mariana

ſtanus Epiſcopus pro Tarraconenſi refellere aggreſſi eſſent. Abeſſent alij, quorum intererat; hoc eſt *Compoſtellanus,* & *Narbonenſis.* Ex quo perſpicuè pars huius narrationis corruit, quæ maiori mole in Compoſtellanum incumbebat. Verum potuit Narbonenſis tunc non adeſſe, vti hiſtoria manuſcripti narrat, & poſtera die comparere; non eſt ergo verum vno die illa omnia eſſe acta; quod videtur ad finem ſignificare. Sed quoniam potuit intelligi de prima cauſæ actione, non contendo. Tantùm dico contradicere Marianæ, qui perſpicuè docet duos abfuiſſe, nec meminit vlla ratione Narbonenſis; quem, ſi adeſſet, nullatenus omiſiſſet.

Non aderant ij Metropolitani omnes, quos inducit Commentarius.

Duo ex ijs abfuerunt.

Animaduerto inſuper hanc Controuerſiam non inter illos quinque Archiepiſcopos verſatam, ſed tantum inter Braccharenſem, & Toletanum fuiſſe. Quod apparet ex cap. *Coram* fœlicis memoriæ, & in integrum reſtitutione libro primo Decretal. in quo ita de hac lite Honorius Pontifex III. loquitur, vt ſignificet eam cum ſolo Braccharenſi fuiſſe ſuſceptam. Vti paulo poſt ex adductis verbis textus conſtabit. Id nunc perſuadeo ex modo referendi euentum rei, quem ſic narrant. Abbas, & Gloſſa, & alij Doctores in Commentarijs ad illud Caput, vt ad ſolum Braccharenſem eam litem referant. Perinde ac ille ſolus eam mouiſſet, aut motam ſuſtinuiſſet. Affero verba Gloſſæ deſumpta ex Abbate.

Cap. Coram

Honor. III.

Illa lis de Primatu inter duos tantum Archiepiſcopum Toletanum, & Bracharēſem agitata.

Inter Archiepiſcopum Braccharenſem, & Archiepiſcopum Toletanum coram Innocentio ſuper iure Primatus quaſtio vertebatur; lite inter prædictos Archiepiſcopos conteſtata coram ipſo; cauſam commiſit qui-

quibuſdam Iudicibus, vt ipſam cauſam ſufficienter inſtructam remitterent ad Apoſtolicæ ſedis examen, &c. Nulla hic mentio fit de alijs, ſed de ſolo Archiepiſcopo Braccharenſi: nec vllum hactenus reperire Authorem antiquiorem hoc manuſcripto potui, qui ad alios eam cauſam extendunt. Imò & ex recentioribus obſeruaui, neminem eorum, qui ſuo ſenſu loquuntur, de vllo alio, præter Braccharenſem Epiſcopum meminiſſe; vnde Barboſa vir doctiſſimus cum hanc litem diligenter, & accuratè deſcribat 1. p. de officio, & poteſtate Epiſcopi titulo 3. cap. 8. inter eos duos, Braccharenſem, & Toletanum Archiepiſcopos motam, & agitatam eſſe narrat: Alij autem, qui ad alios eam extendunt, non ſuo ſenſu loquuntur, ſed afferunt iſtud Toletani Archiuij inſtrumentum; cuiuſmodi eſt Seuerinus Binius in notis ad Concilium Lateranenſe; vt hac ratione eruditioni non deſint, & ſuæ fidei conſulant. Ad nullum niſi ad Braccharenſem miſſas ſuper ea re ab Honorio Pontifice litteras inuenimus. Quod argumento eſt ipſius tantùm eam cauſam propriam fuiſſe. Litteras autem Pontificis Honorij vltra id, quod habetur in cap. *Coram* infra exhibebimus. Barboſa Binius.

Nunc ad modum, & exitum cauſæ veniamùs. Longè diuerſus fuit ab eo, quem Author inſtrumenti Toletani producit. Nam ille vult, & coram Papa, ex Patribus in ipſomet Cócilio inter ipſoſmet Epiſcopos, & motam, & agitatam, imò & ſignificat ſubitò terminatam, & Toletano adiudicatam, qood inde concludit Loayza: qui peracta narratione ſtatim intulit. *Quæ omnia peregit publicè Rodericus Ximenius Romæ in ſui Primatus cauſa, quam* Fallitur ille Commentarius Toletanus. Loayza

ob-

obtinuit: nam Summus Pontifex Primatus honorem eidem coram omnibus detulit. Hæc pugnare omnino cum Canone illo *Coram* Honorij; eiuſque ad Archiepiſcopum Braccharenſem litteris datis, manifeſtè conſtat. Produco textum. *Coram fœlicis memoriæ Innocentio prædeceſſore noſtro lite inter Archiepiſcopum Toletanum, & te Frater Archiepiſcope, ſuper Primaſia ſolemniter conteſtata, fuit peremptorius terminus aſſignatus.* Et infra. *Verum elapſo termino conſtituto, poſt expectationem non modicam comparuerunt Procuratores veſtri, ſed quia non attulerant depoſitiones teſtium, & alia munimenta dilationem cum inſtantia poſtularunt. Poſtquam verò contra eos interlocuti fuimus ſuper dilatione petita, tandem indulgere Eccleſiæ Braccharenſi dilationem, propter inſtructionem cauſæ, per auxilium reſtitutionis in integrum poſtularunt, exhibentes ſuper hoc ex parte veſtra ſpeciale mandatum. Nos autem vſque ad octauas Pentecoſtes per reſtitutionis beneficium duximus indulgendum.* Longè diuerſo modo hic narratur, actam fuiſſe cauſam inter hos Archiepiſcopos, ab eo, quem refert Manuſcriptum illud Toletanum. Cauſa quippe more ſolito, & cœpta, & agitata, & commiſſa certis iudicibus, quemadmodum affirmat Gloſſa. *Vt ipſam cauſam ſufficienter inſtructam remitterent ad Apoſtolicæ ſedis examen, partibus terminum peremptorium aſſignando.* Non ergo in Concilio vno die terminata; ſed in multos dilata: nec tempore Concilij finita; imò ne in vita quidem Innocentij abſoluta. Cum Honorius in hoc Canone manifeſtè dicat aſſignatum terminum peremptorium; & ... illo

Pugnat cum Canone, & Decreto Honorij III.

Non vicit in hac cauſa litem Ximenius.

Gloſſa.

illo elapſo expectatos Procuratores fuiſſe, qui cum teſtes, & alia ad cauſam requiſita minimè ait duxiſſent, dilationem poſtularunt. Quæ cum ad tempus Honorij III. perueniſſet coram eo eſt inſtaurata, & beneficio reſtitutionis in integrum noua prorogatio impetrata. Non igitur eo modo egit cauſam Ximenius cum Braccharenſi, quo refertur in Manuſcripto: Nam hic nihil commemorat de cauſa, nihil de lite mota more iudicij. Sed de *querimonia Ximenij de Braccharenſi, & Compoſtellano, & Tarraconenſi, & Narbonenſi Archiepiſcopis, quod nollent ei tanquam Primati debitam obedientiam præſtare*. Quaſi iam cauſa ſibi adiudicata eſſet, & iure ſuo in eos, tanquam in victos ageret. *Vnde* inquit inſtrumentum, *obnixè petebat, vt ius ſuum ſibi redderetur*. Quod non eſt litigantis, ſed victoriam obtinentis. Reliqua verò, quæ addit, omnino ſunt inſultantis. Tam enim liberè, ac effrenatè loquitur, vt propè petulantiam accedat, & omnem depoſuiſſe modeſtiam videatur. Erat illa Oratio vix auribus vulgi ferenda. Qui ergo coram Pontifice, & cœtu grauiſſimo Cardinalium in medio Concilij haberetur? Haud dubium quin ille ab auditoribus coercitus loqui deſiſteret, etſi parere nollet obſtrepente dicturo Concilio, vſu vocis priuaretur.

Arrogantia & licentia Ximenij in eo Lateranenſi Concilio ſi ea eſſet, ferenda non eſſet.

Vanam autem, & ex ficta victoria falſam iactantiam illam fuiſſe, facile eſt, grauiſſimorum item Scriptorum teſtimonijs aduerſus Loayſam, Baroniumque illi aſſentientem probare. Negant igitur viciſſe cauſam Toletanum; & affirmant lite indeciſa diſceſſum eſſe duo Magni Hiſpani Scriptores, Zurita in Annal. Aragon. parte prima lib.

2. cap.66. & Mariana lib. 2.cap.4. qui quod latiùs nè ſcripſit eius verba afferre volo. *Actum prætereà*, inquit *de Primatu Eccleſiæ Toletanæ, quem agnoſcere Tarraconenſis, Braccharenſis, Compoſtellanus, & Narbonenſis Epiſcopi recuſabant.* & infra. *Roderici Orationem cum Braccharenſis, qui aderat, & Auſitanus Epiſcopus pro Tarraconenſi refellere aggreſſi eſſent, abeſſentque alij, quorum intererat, lite integra diſceſſum eſt, neutrò inclinata ſententia.* Perſpicuè tradit Mariana, quam ex æquo certatum, & quàm æqualiter diſceſſum. Vbi ergo victoria, quam præſumit Ximenius, eique aſſignat Loayza? Non ea ſolum intempeſtiua, ſed commentitia. Duos alios produco ex Luſitanis; ſed integra fide Authores. Vnum Auguſtinum Barboſam. De offic. & Poet. Epiſt.1.p.3. cap. 8. num. 12. Alterum D. Rodericum à Cugna Archiepiſcopum Braccharenſem, & poſtea Oliſiponenſem, tum lib. de Vitis Archiepiſcoporum Braccharenſis in vita Stephani Suarij, tum latius tract. de Primatu Braccharenſi cap. 23. & 4. Affero verba Auguſtini Barboſæ loco adducto, vbi ſic de Braccharenſi Eccleſia. *Totius* inquit *Hiſpaniæ Primatum antiquiſſimo iure ſibi vendicat, qua de re cum Toletana Eccleſia ſede vetus ei lis eſt, & contentio: cuius meminit Honorius III. in cap. Coram. de in integrum reſtit. quæ tamen lis ab eius Pontif. Maximi tempore ad noſtram vſque ætatem ſilet.* Ecce vir doctiſſimus, & in hoc ſtudij genere verſatiſſimus affirmat, quæ lis fuerat antea mota, eam ſuſpenſam, indeciſamque hactenus eſſe.

Idem confirmant Barboſa, & Acugna

Quid? quod Acugna litterarum Honorij exempla duo affert idoneæ Fidei. Vnum prolatum ex

Ar-

Archiuio Eccleſiæ Braccharenſis. Alterum cuiuſdam Senatoris clariſſimi, quem ego iam ſenem puer noui, qui Franciſcus Vaz Pinto dicebatur, & ſupremus Regni Cancellarius erat, & magnæ Authoritatis vir, in quibus tota illa agitatæ, & conteſtatæ litis hiſtoria; & ſententia in aliud tempus ſuſpenditur. Ac vt maior ſit litterarum fides, cum res eadem ſit, eſt tamen formula ſcribendi diuerſa, vt non videatur vnum ex altero deſumptum. Sunt autem datæ litteræ ad Archiepiſcopum, & Capitulum Braccharenſe. X. Kal. Martij. Pontificatus Honorij anno I. Falsò igitur ſcribit Loayſa ad dict. Decretum pag. 287. Honorium III. Roderici Primatum confirmaſſe, cùm contrarium conſtet ex Canonico Iure à nobis citato: vti eo loco ad textum *Coram.* obſeruat, & docet Barboſa num. 2. in fine. Addo duo momenta, magni, opinor, ponderis. Alterum: Rodericum Ximenium nunquam deinceps in litteris ab Honorio ad eundem datis, *Primatem* dici, quod animaduertit Acugna cap. 75. Alterum Braccharenſem Archiepiſcopum ſæpè à Summis Pontificibus *Primatem* in ſuis ad eum litteris appellari; vti prolatis Innocentij IV. & Bonifacij IX. & Pij V. ac aliorum Epiſtolis oſtendit Acugna cap. 26. quæ ſictæ eſſe non poſſunt. Quin huic noſtræ de indeciſa adhuc lite ſententiæ calculum addit Compoſtellanus Epiſcopus Alfonſus Fonſeca, qui Franciſcum Ximenium Toletanum Antiſtitem conantem in ſua Diœceſi munera Primatus exercere, animosè repulit, & per litteras obiurgauit: in quibus eum ob audaciam reprehendit, & negat vnquam Toletanam ſedem in

Hiſpania primatem extitiſſe,&his verbis abſoluit. *De hoc Primatu ſemper fuit lis in Iudicio, nec adhuc determinata eſt cauſa.*

Ac vt res hæc teſtatior ſit, operæ pretium duco, exemplum illuſtre, & certum afferre, quo appareat: non fuiſſe cauſam Toletano Primatus adiudicatam. Rem narrant Zurita lib. 6. Annal. Aragon. in vita Iacobi II. cap.37. & Mariana lib. 25. cap.17. Cuius teſtimonium produco, & finio. *Quo Anno Ioannes Aragonij Regis filius Toletanus Pontifex Ilerdæ ſacratus eſt. Cum Aragonibus certè Præſulibus magna de dignitate Eccleſiæ Toletanæ contentio fuit. Ioannes de more præferebat poteſtatis inſigne: id ſibi veteri iure conceſſum, recentique memoria confirmatum licere arbitrabatur, cùm Primas eſſet Hiſpaniæ. Tarraconenſis, Cæſarauguſtanuſque Præſules pro inaugurationis cæremonia interfuerunt, iure controuerſo, cauſaque nondum dijudicata negabant: ad has voces cum Toletanus non mutaret ſuæ dignitatem Eccleſiæ tueri, certus, Patris que fauore fretus Cæſarauguſtæ, vbi Conuentus Regni habebantur, à Cæſarauguſtano Præſule Anathemate notatur. Conſtitutio ſuperioribus annis anathemate ſancita: ſi quis in aliena Prouincia Crucem præferret falſo prætendebatur. Id ægrè Aragonium Regem habuit, Filium in ſuo Regno violari, ſuiſque in oculis. Datæ ad Romanum Pontificem de ea re litteræ acres, atque minaces, videbaturque crudele aliquod exemplum editurus, ni admonitus à ſuis de ſuarum Eccleſiarum dignitate agi, regnoque, neque videri æquum priuatis affectibus indulgendo publicam cauſam prodere, multum de animi furore remiſiſſet. Pontificis ambiguo reſponſo vtrique ſuſpenſi, ita*

Zurita
Mariana

ſi, ita factam auerſantis; vt anathematis ignominia exolui Toletanum iuberet, ſi fortè extitiſſet iuſta. Hæc quod omnino rem continent, & lecta ſufficiunt, nec indigent aut interpretatione, aut amplificatione, conſideranda Lectoribus relinquo: nec verbum amplius addam; cum ſcripta hæc idonea ſuppeditent argumenta.

CAPVT VLTIMVM

Obiectio ex Pauli ad Romanos cap. 15. num. 19. Epiſtola remouetur, & aditus Iacobo in Hiſpaniam ex Anaſtaſij doctrina aperitur, & liber clauditur.

OPTAVIT, ac decreuit Paulus proficiſci in Hiſpaniam: imo & promiſit. Conſtat ex cap. 15. ad Romanos num. 24. & 28. *Cum in Hiſpaniam*, inquit, *proficiſci capero*. Et *Per vos* ait *proficiſcar in Hiſpaniam*. An re votum impleuerit? Ex Scriptura non conſtat. Conſtat autem ex multorum Patrum, & omnium fermè authorum qui de eo ſcripſere ſententia: quos referunt Pater Gaſpar Sanchez tr. 4. cap. 1. diſputat. de Prædicatione, & aduentu Sancti Iacobi. Et ante illum Salmeron commentar. in Epiſtola ad Romanos, & Acta Apoſtolorum tract. 59. & poſt illos eruditiſſimè Erze Xi- Sanch. Salmer.

me-

menez parte 2. cap. 2. vbi accuratiſſimè colligit, & recenſet omnes. Non eſt meum id confirmare. Tantùm aduerto multos ex his recentioribus, acriter obiurgare Dominicum Sotum, quòd contra ſenſerit. Equidem vt ab eo diſſentiam, cum eo expoſtulare nolo, cum & Gelaſium Papam eius rei authorem habere potuerit, qui ſanè id negare videtur 22. quæſt. 11. & Sanctum Thomam commentarijs in Epiſtola ad Romanos, vbi cum Gelaſio ſentit, ac præterea de eo dubitat Lorinus in cap. 17. Actor. ad finem, & quod mirere Hiſpanus ſcriptor Queuedo, in libello de vita Pauli. Et quanquam, vel authore Baronio Gelaſius vtcunque exponatur ne noceat, & Sanctus Thomas in Epiſtola ad Galat. cap. 2. affirmare videatur, quod antea negarat in commentarijs ad Romanos, cum id tamen ex Scriptura non conſtet, nec vniuerſali traditione Hiſpaniæ, excuſandus eſt potius Soto, tantus Theologus, quàm culpandus. Sed hoc eſt alterius inſtituti. Meum vrgeo.

Gelaſius

S. Thom.

Lorin.
Queuedo

Non veniſſe in Hiſpaniam Sanctum Iacobum ex voto in eam veniendi Pauli, ita probatur. Paulus eo in loco ad Romanos ait, ſe Chriſtum prædicaſſe, & prædicare velle, vbi non dum erat annunciatus; atqui volebat prædicare in Hiſpania, ergo ibi Chriſtus non fuerat prædicatus. Vnde concluditur: Sanctum Iacobum in Hiſpania minime prædicaſſe. Rotundum eſt argumentum: continetur in verbis Pauli, quæ ſunt eiuſmodi. Cap. illo 15. ad Romanos num. 19. *Ita vt à Ieruſalem per circuitum vſque ad Illyricum repleuerim Euangelium Chriſti. Sic autem prædicaui Euangelium*

Argumentum ex Paulo.

Ad Roman.

gelium hoc, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper alienum fundamentum ædificarem.

Et quidem tanti hoc argumentum fuit, vt vna ex cauſis, cur antiqua illa Breuiarij formula, quæ affirmabat aduentum Iacobi in Hiſpaniam à Clemente VIII. in Traditionem ſit conuerſa, fuerit. Accedente præſertim authoritate Ambroſij, qui ad eum Pauli locum perſpicuè negat Euangelium in Hiſpania antea prædicatum. Sic enim. *Venturum ſe promiſit Paulus tempore, quo in Hiſpaniam erat iturus, quia illic Chriſtus non erat prædicatus.* Itaque accuratiùs eſt locus interpretandus. Egit id diligentiſſimè P. Gaſpar Sanchez, & Erze Ximenez p. 1. tract. 7. cap. 14. Trifariam reſpondet Sanchez. Primùm, etſi Iacobus antea prædicaſſet in Hiſpania, locum fore Paulo prædicandi, vbi Chriſtus non eſſet annuntiatus, cum Hiſpania latè pateat, nec totam Iacobus Apoſtolus peragraſſet. Sed hæc reſponſio idonea certè non eſt: nam ſenſus verborum cadit ſuper totam Hiſpaniam, vti expendit Ambroſius: cum Paulus Hiſpaniam dixerit, & ad illam referatur alia pars textus: *Non vbi nominatus eſt Chriſtus.* Quæ vera non eſſet, ſi iam in ea Chriſtus prædicatus eſſet. Præterea Traditiones Eccleſiarum Hiſpaniæ nos docent Iacobum maximam eius Prouinciæ partem peragraſſe, quod idem Pater Sanchez cap. 5. fatetur, imo & plurimos ait ab eodem Apoſtolos ad Fidem eſſe conuerſos. Quare hac interpretatione difficultas non tollitur.

Secundùm reſpondet, & breuiter 1. Paulum loqui de eo, quod hactenus fecerat, non autem de eo, quod erat deinceps facturus. Et quidem an-

Ambroſ.

Sanchez

Prima expoſitio.

Improbatur reſponſio.

Sanchez

Secunda expoſitio.

antea prædicauerat, vbi Chriſtus non fuerat annunciatus; vnde non ſequitur ſemper ita eſſe facturum. Potuit ergo Paulus poſtea mutare ſententiam, & prædicare vbique Chriſtum, nec enim negauit ſe facturum, ſed affirmauit ſe feciſſe. Hæc item reſponſio minus placet, quia ſumit id, quod repugnat ſacris litteris, nimirum Paulũ antea ſemper prędicaſſe Chriſtũ, vbi prędicatus non fuerat: cũ perſpicue conſtet eũ in multis, vbi Chriſtus annunciatus iam fuerat, locis prædicaſſe: nam & Antiochiæ, & Damaſci, & Hieroſolymis, in quibus prius Apoſtoli Chriſtum annunciauerant, prædicauit. Igitur hac parte ruit ſolutio: etſi alia, quæ futurum tempus reſpicit ſtare queat. Nexus itaque nocet, non enim poſterior pars ſententiæ cum prima, ſi ſit falſa, poteſt conſiſtere.

Tertia expoſitio.

Tertiùm ait. Locum Pauli ita exponendum eſſe, vt de conuerſione gentium, quarum Paulus erat Apoſtolus, ſit intelligendus perinde, ac ſenſus ſit. Meum eſt prædicare gentibus, quibus Chriſtus ignotus erat; iuxta illud Iſaiæ *cap.* 52. qui locus ibi adducitur ab Apoſtolo. *Sicut ſcriptum eſt, quibus non eſt annunciatum de eo videbunt, & qui non audierunt, intelligent*. Et rurſus cap. 55. *Ecce gentem, quam neſciebas vocabis; & gentes, quæ te non cognouerunt ad te current. Quem ſenſum* inquit Sanchez *eſſe puto. Deſtinatum eſſe Paulum, vt prædicaret gentibus, apud quas Chriſti nomen annunciatum non eſſet, aut ab alijs de Chriſti Fide fundamentum locatum. Fundamentum autem puto ab Apoſtolo vocari, aut nominatum Chriſtum, aut Prophetarum Oracula de*

Chri-

Chriſto, quæ ſane fuere plurima, & ſolis tantum nota Iudæis. Et quoniam poterat quis obijcere, Paulum Iudæis item prædicaſſe, occupat Sanchez, reſpondendo more logico, Paulum non de actu ſecundo prædicandi, ſed de actu primo, id eſt, de poteſtate prædicandi loqui. Quaſi diceret. Ego ex officio doceo, & prædico inter gentes, quibus ſum deſtinatus doctor, non autem inter Iudæos, quibus non ſum propriè deſtinatus. *Nihil ergo Paulus* inquit *aliud ſignificat, quã ſe gentium deſtinatum Apoſtolum, ad quas neque Chriſti antea nomen, neque Prophetarum Oracula peruenerunt. Ita putat Salmeron, & Dominicus Soto, & indicat Adamus in hunc Pauli locum*. Hæc certè reſponſio nimis eſt acuta, & ex Logica ad euadendam difficultatem petita. Ecquis enim legens Paulum, non videt eum loqui ſimpliciter, & more ordinario, de actu prædicationis ſecundo? hiſtoricè quidem non Logicè: narrando factum, & afferendo rationem facti. *Ita vt ab Ieruſalem per circuitum vſque ad Illyricum repleuerim Euangelium Chriſti*. Hoc ad prædicationem in actu ſecundo factam ſpectat. Sequentia ad modum efficiendi, ideſt prædicandi. *Sic autem prædicaui Euangelium hoc, non vbi nominatus eſt Chriſtus, ne ſuper aliorum fundamentum ædificarem*. Hæc ad locum pertinent prædicationis, qui ad rem, & ſitum, & regiones, & populos, inter quos prædicauit, non ad actum primum prædicantis Pauli pertinet, & ratio adducta, cum actu, & loco prædicationis cohæret. *Ne ſuper alienum fundamentum ædificarem*. Ideſt in ijs locis, ac inter eos quibus prædicaui.

Ideſt *Gentiles*. *Quibus non eſt annuntiatum de eo, & qui non audierunt intelligent*. Nuda, & ſimplex locutio eſt. Prædicaui circuiens terras ab Ieruſalem vſque ad Illyricum, & ſic prædicaui, vt in ijs locis, ac ijs populis Chriſtum annunciarem, vbi Chriſtus non erat annunciatus, nec enim volui, niſi ibi prædicare, vbi Euangelium auditum non erat, malui prima Euangelij fundamenta iacere, quam vbi iam erant ab alijs iacta fundamenta, vt de nouo, & ex integro ibi Eccleſiam ædificarem. Hic eſt planus verborum ſenſus. Alij coacti, & detorti. Quemadmodum lector attentus intelliget.

Equidem legens hunc locum, nullam in eo video magni momenti difficultatem; ac miror potuiſſe, aut eo tantopre moueri aduerſarios ad impugnandum Iacobi aduentum, aut noſtros, tantopere in eo exponendo laborare. Mihi videtur res facilis: nec eo nos terreri, aut debere, aut poſſe. Intelligamus plane, acta res eſt. Ait Paulus: ſe in ea ſua peregrinatione, prædicaſſe Gentibus, quibus Chriſtus cognitus antea non erat: idque ſe procuraſſe, vt ad eos diuerteret, qui adhuc ignorabant Chriſtum, quoniam hi magis indigebant, & Paulo glorioſius erat ijs prædicare, vt primus eorum Fidei author eſſet, ac ne videretur in labores aliorum introire. Hic eſt ſenſus germanus. Quid hinc ſequitur contra prædicationem Iacobi in Hiſpaniam? Nihil ſanè. Etenim ex eo non ſequitur Paulum, nunquam alibi, aut aliter prædicaſſe, niſi vbi non erat prædicatus Chriſtus, aut denuo illum annuntiando, cum & antea prædicaſſet; vbi Chriſtus ab alijs

Recta expoſitio.

præ-

prædicatus fuerat, vti Damaſci, & Antiochiæ, & poſtea prædicaturus eſſet Romæ, vbi iam Petrus euangelizauerat. Quemadmodum ergo non colligitur ex hoc loco, Paulum, aut non prædicaſſe antea, niſi vbi prædicatus non erat, aut non prædicaturum poſtea, niſi vbi Chriſtus annuntiatus non eſſet, ita non ſequitur ex eo, quod in Hiſpania prædicaturus erat, in ea non fuiſſe Chriſtum prædicatum. Patet, quia ſi illa verba ſic ſunt intelligenda, vt vbi Paulus prædicare vellet, ibi nemo prius prædicaſſet, non de ſola Hiſpania, ſed etiam de magna parte Aſiæ, & Europæ, in qua Paulus prædicauerat, dicendum eſſet neminem ibi ante Paulum prædicaſſe, quod omnino eſt à veritate alienum. Itaque non minus nocet hic locus intellectus, vti aduerſarij volunt prædicationi Pauli in Hiſpania futuræ, quam in Iudæa, & Græcia factis. Quod ſi his non officit, nec Hiſpanicæ officiet. Igitur ſenſus loci planus eſt: Paulum in ea peregrinatione de qua loquitur ad Romanos, ita prædicaſſe Chriſtum, vt curauerit eas gentes docere, quæ Chriſtum ignorabant: nihil interim loquendo de alijs, quibus antea euangelizauerat, aut erat poſtea euãgelizaturus. Accedit coniectura, quod loco *prædicaui* Græcè habetur ὕτω δὲ φιλοτιμούμενος εὐαγγελίζεσθαι *magno ſtudio connisſus ſum, & ambiui Euangelizare*, vel *adnitens promulgare Euangelium*. Faciendo quantnm poterat, ad annuntiandum Chriſtum, vbi nulla nominis eius mentio erat, quod obſeruant duo egregij interpretes Iuſtinianus, & Cornelius à Lapide in eum locum, & ex Diuo Chryſoſtomo deſumpſerunt, qui appoſitè in

Idonea interpretatio.

Iuſtinian. Cornelius à Lapide.

Chryſoſtom. rem noſtram . *Vt ex ſtudio voluerit eos maxime docere qui nondum audierant de Chriſto: non enim dicit vbi nondum crediderunt, ſed vbi non dum nominatus eſt Chriſtus, quod plus eſt .* Patet ergo loci ſenſus, Paulum in ea peregrinatione ita ſe geſſiſſe, vt ſtuduerit illas gentes erudire, quæ nihil de Chriſto inaudierant, neque eum ſenſum alios excludere, neque ex eo deduci, ita ſemper antea feciſſe, & poſtea eſſe facturum, atque adeo nihil inde contra Sancti Iacobi prædicationem in Hiſpania colligi poſſe. Quod attinet ad locum Ambroſij, conſtat eos Commentarios non eſſe Ambroſij, ſed authoris Semipelagiani omnino ſuſpecti.

Textus Pauli in rem noſtrã conuertitur. Imo adijcio coniecturam ad confirmandam communem de aduentu Iacobi in Hiſpaniam doctrinam. Qua retorqueo in aduerſarios argumentum. Nam Paulus ita loquitur, vt ſignificet in ea tantum prædicatione id effeciſſe, vt prædicaret Chriſtum gentibus eum ignorantibus: eoque itinere confecto vacuum eſſe ad prædicandum vbique, tum vbi annunciatus erat Chriſtus, tum vbi non erat. Vnde ſequitur in *Hiſpania* prædicatum iam eſſe Chriſtum. Suadeo autem meam coniecturam ſic. Paulus fatetur ſe velle Romam venire, prohibitum tamen eſſe ne veniret propter illam ſuam prædicationem, quam ſuſceperat in regionibus, quæ carebant lumine Fidei: id conſtat ex eodem capite num. 22. Impedimentum autem erat illa prædicatio, qua finita volebat Romam venire, & inde Hiſpaniam adire, & à Romanis deduci fidelibus, quod expreſſe dicit num. 24. *Cum in Hiſpaniam proficiſci cæpero*

ſpero

ſpero, quod præteriens videam vos, & à vobis deducar illuc, ſi vobis ex parte fruitus fuero. Vnde colligo primùm. Ceſſaſſe iam in Paulo illud ſtudium prædicandi, vbi non erat annunciatus Chriſtus. Nam Romæ, quò ibat iam erat Fides, & Eccleſia conſtituta. Secundum non eſſe eandem prædicandi in Hiſpania neceſſitatem, quæ in alijs regionibus, vbi Chriſtus non erat annunciatus. Si enim tanta neceſſitas foret, non diuerteret Paulus Romam, nec ibi tandiu morari vellet donec frueretur, & ſatiaretur aſpectu, & conſuetudine Romanorum. Quomodo enim qui excuſabat impedimentum veniendi Romam, ortum ex prædicatione, quæ cum morabatur inter gentes, quæ Chriſtum non nouerant, & illam prædicationem anteponebat conſpectui, & conſuetudini Romanorum, modo relicta Hiſpania Romæ moraretur, ſi in ea Chriſtus non eſſet annunciatus? Certè ſi illa non iam eſſet Fidei doctina imbuta, & Chriſtum prorſus ignoraret, non moraretur Paulus Romæ, nec in ea quieſceret, ſed aut recta in Hiſpaniam tenderet, aut breui Roma eò migraret. Tertium, quod Paulus dicat deducendum ſe eſſe à Romanis in Hiſpaniam, ſignum eſt illos Romanos vel in Hiſpania fuiſſe, & ex ea veniſſe, vel ſaltem ijs Hiſpaniam notam eſſe, ac perſpectum in ea Chriſtianos eſſe. Quorſum enim vellet ab ijs deduci ſe Paulus, niſi deducentibus ſe fidelibus alij in Hiſpania fideles noti, & familiares eſſent? Quòd ſi hæc vera ſunt, vti apparet, non modo hic locus Epiſtolæ Pauli ad Romanos nihil officit aduentui Sancti Iacobi in Hiſpaniam, ſed illi etiam fauet. Qua ratione obie-

Coniectura ex eo pro aduentu s. Iacobi in Hiſpaniam.

ctio facta diluitur.

Quoad alteram capitis partem, ne quid maneat indiſcuſſum, locus eſt Sancti Anaſtaſij Antiocheni, quo probare ſolent Authores noſtri aduentum S.Iacobi in Hiſpaniam; eum afferre volo verbis idonei, ac elegantis Scriptoris P. Gaſparis Sanchez tract.2.cap.1.num.8. *Adde nunc*, inquit, Adde nunc Anaſtaſium Antiochenum, qui Arabica lingua antiqua, qualem veriſimile eſt fuiſſe illam, qua in plumbeis laminis ſcripti ſunt libri de eſſentia Dei, & Eccleſiæ fundamento, apertè dicit in Hiſpania prædicaſſe Iacobum. Hunc verò librum Ioſephus Stephanus, Epiſcopus poſtea Oriolanus libro 1. de poteſtate coactiua Roman. Pontif. cap.8. num.2. & Bartholomæus Laurentius Cæſaraugustanæ Eccleſiæ de Pilari canonicus vidiſſe ſe dicunt, Romæ, in Bibliotheca Ignatij Patriarchæ Antiocheni. Sic autem ibi Anaſtaſius Latinè redditus. *In hoc die* (ideſt, decimotertio menſis Barmudati, qui apud nos eſt duodecimus Aprilis) *multiplicibus martyrijs affectus eſt Sanctus Iacobus Apoſtolus frater Ioannis filij Zebedæi; idque poſtquam abijt in Occidentem in ciuitatem Andiat, & fecit apud eos miracula; quæ homines attoniti ſtupebant. Ita quòd conuertit eos in cognitionem Dei excelſi. Tunc reuerſus in multas Ciuitates Paleſtinæ prædicauit.* De hac ciuitate *Andiat* magna eſt inter eoſdem Scriptores diſſenſio. Audiamus P.Sanchez num.9. De Andiat res eſt magis obſcura: neque enim apparet, quæ ſit illa ciuitas. Mihi non diſplicet id, quod etiam Bartholomæo Laurentio viſum eſt, quòdque ab Arabicæ linguæ peritis didiciſſe ſe dicit,

An-

[Margin: Ratiocinatio P. Gaſparis Sanchez. Ex eo deſcripta.]

[Margin: Idem Sanch.]

Andiat nomen eſſe non tam ciuitatis in Hiſpania, quàm Hiſpaniæ totius: lingua etenim Arabica, Hiſpania *Andlis* appellatur, quæ, vt fit, poſt multa ſæcnla aliquid mutauit ex antiqua voce *Andiat*, cuius tamen reliquit veſtigia non obſcura. Hæc verò, vt puto, propriè eſt, quam noſtro ſæculo Andaluſiam vocant. Cur ab alijs nationibus, quæ ad Arabiam pertinent, vbi liber ille videtur eſſe conſcriptus, Hiſpania *Andlis*, ſiue *Andaluſia* nomen eſt, prima occurrit, his, qui ex Arabia, aut Antiochia, cui Anaſtaſius Patriarcha præfuit, enauigarunt. Fieri autem plerumque aſſolet, vt toti prouinciæ pars illa nomen accommodet ſuũ, quæ primùm à nauigantibus aperta, ſiue luſtrata fuit. Sic Hiſpani Mauritaniam appellant quamcumque regionem à Mahometanis habitatam, ſicut & Mauros illos omnes, qui Mahometi præſtigijs addicti ſunt: quia Hiſpaniæ finibus proxima eſt ab Auſtrali plaga Mauritania. Sic Indus regionibus, quæ procul à nobis abſunt, nomen indidit, vbicumque locorum illæ ſint: quia Indus olim in regionibus nondum exploratis primùm occurrit. Quare iam prouinciæ noſtris temporibus apertæ, ſiue ad Orientem, ſiue ad Occidentem Solem pertineant, Indicæ dicuntur. Sic puto *Andiat*, ſiue *Andlis* Hiſpaniam totam appellari, quia prouincia Bethica primùm excepit ex Aſia, vbi Arabia eſt, & Anthiochia ſoluentes. Cùm verò, vt Ioſephus tradit lib. 1. contra Appionem, multis ex his etiam quibus non vulgaris ineſſe putabatur doctrina, Hiſpania non tam prouincia putaretur, quàm ciuitas, è quorum numero fortaſſe fuit hic Antiochenus Anaſtaſius; ſenſus il-

lorum

lorum verborum hic eſſe videtur: *Iacobus filius Zebedæi ad occidentem abijt, in Hiſpaniam videlicet, quæ occidentalis eſt*. Hæc Sanchez: Cui fermè, qui poſtea ſcripſere, adhærent Hiſpani; ſed ea mihi opinio minus probatur, qui video Anaſtaſium, non de Prouincia, ſed de Ciuitate fuiſſe locutum. Ait enim in Ciuitatem *Andiat*, non in Prouinciam: atque adeo conſtat retinendum eſſe nomen Ciuitatis, eamque in Hiſpania inquirendam. Suſcepi eius rei ſtudium, & cum peritis Arabicæ linguæ, qui in hac ſunt vrbe, & in Collegio de Propaganda Fide mecum verſantur, locum Anaſtaſij contuli, ac imprimis cum Abraham Ecchellenſi multiplicis doctrinæ, ac eruditionis viro, quem pro vetere amicitia, etiam, atque etiam rogaui, vellet de nomine iſtius vrbis diligenter inquirere, vt ſi quid eſſet vſui meo, illud in hunc librum insererem, & Hiſpanicis hominibus ſatisfacerem. Morem pro ſua mihi comitate geſſit, & poſt longam inquiſitionem ad me attulit in ſchedula ſententiam, quam produco, ac ea opuſculum claudo.

Igitur ſic habebat Abraham ad me miſſa *ſchedula*, quam legentibus conceptis verbis repræſento; cui opto vt Hiſpani gratias non modo agant, ſed habeant, tollet enim fortaſſe omnes hoc de nomine controuerſias,

Ex

Ex Geographia Arabica Iſmaelis Ahulſada in deſcriptione Andaluſiæ, ſiue Hispaniarum.

EX Vrbibus Andaluſiæ eſt Vrbs Biaſa, vel Banaſa, quæ ſita eſt ad flumen Hiſpalis ſuper Hiſpalem, eſtque terra feraciſſima, multarum frugum, abundat Croco, ex qua in varias aſportatur regiones. Prope Banaſam autem eſt Ciuitas, Andiat, ſed non eſt ad flumen, habetque Andiat fontem, quo irrigatur Crocus;

En Ciuitas, non Prouincia, ad mentem Anaſtaſij: cuius nomen expreſſum in Iſmaele habemus. Hoc nouum adijcio, nec reijcient, opinor, Hiſpani, qui poſt me venerint authores. Situm vrbis ijs, qui in ea Hiſpaniæ parte degunt, inſpiciendum, & indicandum relinquo: vt eo poſteris proficiant.

FINIS.

CATALOGVS AVTHORVM,

Qui Sancti Iacobi in Hiſpaniam aduentum, & in ea prædicationem affirmarunt.

OMNES

Ordine temporis in ſæcula coniecti, ac diſtincti.

NIHIL *minus, cum opuſculum hoc ſcribendum ſuſcepi, quàm authores hinc inde colligere, ad faciendam dictis fidem cogitaui: aſſuetus res magnis, & ſolidis momentis confirmare, nec numerare Scriptores, ſed appendere. Verum quia hortati me ſunt quidam nobiles, & eruditi viri, & qui apud me valent plurimum, vt conſuetudinem aliorum ante me ſcriptorum ſeruarem, & æmulorum ora occluderem, inopiam nobis Hiſpanis authorum obijcientium, & gratum lectoribus facerem, qui eorum multitudine delectantur, malui eorum arbitrio, quàm meo ingenio ſeruire. Sed vt ne viderer actum agere, & aliquid ex meo adderem, ſtatui quos idoneos ad faciendam fidem inueniſſem, eos in ſua ſecula conijcere, & in ordinem euoluto temporum*

ſtilo reducere. Fateor hoc mihi operoſum, moleſtumque fuiſſe: verum vt meum erga monentes ſtudium obſequiumque probarem: libenter laborem ſuſcepi, eoque me officio exolui. Illud moneo: paucos ex eis eſſe, præſertim antiquos, quos non meis oculis viderim, & manibus triuerim. Soleo quippe, cum alijs in cæteris multum, & facile credam, hac in re parum fidere: quod mihi aliquando contigit falli. Illud præterea ſummi Oratoris à puero imbibi: Ineptum eſſe ſectari riuos, Fontes deſerere.

PRIMVM SECVLVM
A CHRISTO NATO AD 100.

SEPTEM Diui Iacobi in Hiſpaniam à Petro Epiſcopi Roma ad Eccleſias erigendas, & regendas miſſi: quorum vnus, ac fortaſsè Princeps fuit Cœcilius. Quibus ante teſtimonium reddidit, nobis Authoribus, Gregorius VII. confirmatum Martyrologijs Romano, Bedæ, Vzuardi, & Adonis. S. Cœcilius

Author eximius Franciſcus Soſa Epiſcopus, librum Sancti Cœcilij ſuæ authoritate firmauit. Nec parùm momenti attulit vir doctus, & grauis Aegidius Luſitanus Familiæ Auguſtinianæ, & Conimbricenſis Academiæ lumen lib. 3. de Immaculata Beatæ Virginis Conceptione quæſt. 3. librum S. Cœcilij recipiens. Cui conſenſit par illi doctrina, & authoritate Gaſpar Sanchez nobilis Societatis IESV ſcriptor, in ſuo illo pulcherrimo de Aduentu Sancti Iacobi in Hiſpaniam tractatu. Et Pater Lezana tertium Hiſpanicæ litteraturæ ſidus, & Carmelitani Ordinis luminare, tum in Hiſtoria; tum in libro, quem *Immobilem Columnam* inſcripſit. Soſa Aegyd. Sanch. Lezana

Pro authore eſto. Illa celeberrima Cæſarauguſtæ Columna, quam linguam in marmore vocalem dixero, Iacobi aduentum atteſtantem; quam iniurioſo non pede proruit vetuſtas temporis; nec quod nocere magis ſolet, nouitas temporum. *Pilarem* Hiſpani dicunt: in qua Virgo Columna Cæſarauguſtana

Sanctiſſima extra Lunam poſita firmiùs conſiſtit, & triumphat; adhibitis Romæ Rotis ad currum; nam pluribus in ſolemni Rotæ iudicio latis pro ea ſententijs cauſa vicit, lite ſibi adiudicata. Eas præter alios ſcitè, & accuratè adducit Lezana in ſua *Immobili Columna*. Hæc obloquentium inuidorum ora oppilabit; nec opus eſt eam teſtimonijs ſtabilire. Manet, & mole ſua ſtat. Non leuis marmoreæ Columnæ authoritas eſt.

Rota Rom.

Secundum Seculum ab 100. *ad* 200.

Sterile hoc, & vacuum Hiſtoricis, & authoribus ſacris fuit: nempe ſanguine Martyrum abundauit, qui librum Vitæ in Superis auxit: nec aliud tum atramentum eum decuit, quam æternus Siderum ſplendor. Nullo in ſeculo pauciores in Catalogis Scriptores inuenias. Itaque illud de Sancto Iacobo ſiluit. Sed non tacuit vnum Toletanum, ac primum inter ea Concilium; in eo quippe S. *Eugenius Toletanus rem Primatus confert cum viris Sanctis, & primarijs Epicteto Cæſarauguſtano &c.* Quæ ſunt verba Flauij Dextri ad annum 101. *Concilio* inquit *Toletano, ad quod Epiſcopos conuocauerat Eugenius.* Inquit Biuar in Commentarijs, & Lezana de *Pilari* cap. 2. cuius & ſi Acta non extent, cauſa tamen ex Aduentu Sancti Iacobi in Hiſpaniam tota pendebat; nam quam ille primum ſedem inſtiterat, aut in qua ſedem inſtituerat, ea ſibi Primatum vendicabat. Imò & quibus Concilium conſtabat Epiſcopis, ij ſucceſſores Diſcipulorum Apoſtoli erant.

Conc. Tolet.

Terri

Tertium Seculum ab Anno 200. ad 300.

Claruit hoc eximijs Scriptoribus. Vnum ex ijs huiuſce theſeos authorem vendico, inclytum IESV Chriſti Martyrem, qui primo Apoſtolorum Martyri Iacobo Illuſtre teſtimonium reddat. Is eſt Hippolitus, quem anno fermè à Chriſti Aſcenſione ducenteſimo, Alexandro Imperatore paſſum affirmat Euſebius, ideſt anno 220. teſte Bellarmino. Igitur hic illius author ſententiæ fuiſſe fertur, quæ affirmat *Iacobum deſtinatum fuiſſe ad Hiſpanias Apoſtolum, & Doctorem.* Hanc ei tribui latè, & eruditè probat Gaſpar Sancius tract. 2. de Prædicatione Sancti Iacobi. Quòd autem ea opinio de Iacobi deſignatione ad eam Prouinciam inualuerit, conſtat ex teſtimonio ipſius Roderici Ximenij, qui hoc perſpicuè dixit in Lateranenſi Concilio, ſecundum M. SS. Toletani fidem. Ibi enim fatetur ingenuè Ximenius *Legiſſe ſe datam fuiſſe Iacobo poteſtatem Prædicandi in Hiſpania.* Ex quo deduco Ximenium in ſcriptis Hippoliti Martiris id legiſſe. Nam vbi legere melius potuit, quàm in eo, qui eius author fertur ſententiæ? Et ſi autem ille non vlterius ſcripſerit, dixeritue de Aduentu; ſatis eſt dixiſſe, aut ſcripſiſſe, ei Hiſpaniam fuiſſe Prouinciam deſtinatam: nec enim deſtinari potuit, niſi à Deo. Quod ſi à Deo deſtinatus fuit, non irrita ea deſtinatio eſſe debuit. Nam cur ad id deſignatus, quod minimè futurum erat? Imò in Concilio Aquiſgranenſi ſub Gregorio IV. & Ludouico Pio Imperatore habetur cap. 12. Apoſtolos Eccleſias fundaſſe in

Hippol. Mar.

Rod. Ximen.

Conc. Aquiſgran.

Re-

Regionibus à Chriſto Domino ſibi ad prædicandum commiſſis. Igitur Iacobus venit quò deſtinatus fuerat; & Hiſpaniam, quæ ei diuinitus contigerat, Prouinciam prædicatione ſua luſtrauit; atque adeo teſtimonium Hippolyti conſtat Traditione Hiſpaniæ ſtabilitum. Quare iure Hippolytus illud affirmare potuit, *Iacobo Hiſpaniam commendatam.*

Quartum Seculum ab Anno 300. ad 400.

Duo ſunt illus teſtimonia. Vnum M. S.S. in Codice Lateranenſis Archiuij, in quo multa Sanctorum Patrum opera continentur, quæ in vnum, hinc inde collecta volumen coniecta ſunt. Initio habet Epiſtolam Gregorij Papæ Magni. In hoc igitur fol. 168. reperitur tractatus ſcriptus. *Epitaphia in Natali omnium Apoſtolorum.* Sub nomine autem Iacobi noſtri ſic.

Archiu. Lateran.

Iacobus inquit, *qui interpretatur Supplantator, filius Zebedai, & frater Ioannis Euangeliſta Hiſpania, & Occidentalium locorum Prædicator, ſub Herode gladio cæſus occubuit.*

Alterum publicæ fidei Typis editum, ideſt Commentarius Hieronymi in c. 14. Iſaiæ n. 12 ad illa verba. *Nobiles eius enim erunt ibi.* Dominus mādauit. *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti: & Spiritus illius congregauit eos; deditque eis ſortes; atque diuiſit, vt alius iret ad Hiſpaniam, alius ad Illyricum, alius ad Graciam pergeret: & vnuſquiſque in Euangelij ſui, atque doctrinæ Prouincia requieſceret.* Hæc vltima clauſula deſignat Iacobum, quem

S. Hieron.

quem minimè nominarat. Nam dum ait, ſingulos Apoſtolos, in ſuis vbi prædicauerunt Prouincijs habuiſſe ſepulturas, id enim eſt, *requieſcere*: cum aliunde conſtet D.Iacobū in Hiſpania ſitum eſſe, manifeſto oſtendit, ſe de illo mentionem feciſſe, cum de Apoſtolo in Hiſpaniam miſſo locutus eſt. Itaque ex tumulo clamat authore Hieronymo Iacobus, ſe in Hiſpania prædicaſſe; & hoc ad Epitaphium pertinere, vt ſecundum teſtimonium cum primo conſentiat.

Adijciendus Heronymo eſt Prudentius, inſignis Poeta, quem Bellarminus in Annum 390. conijcit. Inter cuius carmina Michael del Villar, Regentis Magiſtratu clarus, in Tract. Interpret. trium Epigramm. anno 1609. typis mandato, hæc recenſet de Templo Virginis à Pilari. Prudentius

Perſtat adhuc, Templumque gerit veneranda Columna.

Noſque docet cunctis immunes viuere flagris.

Etſi enim hoc diſtichon ad Columnam, ad quam Chriſtus alligatus vapulauit, quod ſibi obijcit Villar, & Lezana, reſpicere videatur: nihil tamen obſtat, quominus rem contineat, itaut inducta Columna Beatæ Virginis aliò item trahatur; & mens excitata ſpecie Columnæ Virgineæ, de Chriſti quoque Columna, oblata occaſione, cogitet. Quòd autem de Eccleſia loquatur Prudentius, probant aliqui verſus ab eodem Villari ſubiecti, qui hoc modo citantur à Lezana:

Plena magnorum Domus Angelorum,
Et hinc Sacerdotum domus inſulata
Valeriorum.

Irrepſerunt opinor, menda, quæ emendo:

Plena

Plena multorum domus Angelorum.

Non Magnorum,quod minus aptum eſt.Illud, *&*,extra verſum poni debet; nec enim eo addito conſtat numerus verſus, itaut ſit.

Hinc Sacerdotum domus inſulata. Vel pone in fine primi verſus.

Fortè ita adducit Villar, quem videre mihi non contigit, cum in Lezana tantùm viderim, à quo ſic ea carmina producuntur.

Quintum Seculum ab Anno 400. *ad* 500.

Vti Seculum hoc proximum ſequitur,ita & Author illius Authorem proximum excipit, nimirum Flauius Dexter Hieronymum, cuius familiaris fuit,adeo vt ille librum de Scriptoribus Eccleſiaſticis ei dicauerit, & ab eo viciſſim Chronico donatus fuerit, niſi ante opus abſolutum, & perfectum moreretur. Quare Dexter Paulo illud Oroſio dedicauit. Fuit Hiſpanus, patria Barcinonenſis, clarus Natalibus, patre Sancto Paciano Epiſcopo, Præfectura, & alijs Togatis honeſtatibus inſignis. Chronicon eum ſcripſiſſe conſtat ex Hieronymo. Hoc autem id omninò eſſe,quod hodie illius nomine circumfertur, ambigi nequit, cum penè omnes de eo docti conſentiant. Ex Hiſpanis tot, ac tanti, vt numerus faſtidium, authoritas pondus afferat. Eum inprimis aſſerunt, & commendant Franciſcus Biuar, Ciſtercienſis, Rodericus Caro, & Thomas Tamayo de Vargas inſignes illius Commentatores. Tuentur eumdem Alphonſus Maldonatus, Ioannes Marquez, ille Dominicanus, hic Auguſtinianus, Scriptores Magni nominis: qui-

Flau. Dexter

bus accedunt Gaſpar Sancius, Petrus Oieda, Martinus de Roa, Xodar, Munozius, Erze Ximenius, & nouiſſimè Quintana Dueñas, & Lezana, qui maiorem numerum adducit, iiſque calculum ſuum addit. Externorum, Honorius Auguſtodunenſis, Geſnerus, Poſſeuinus, Caracciolus, Andreas Scotus, ac plerique alij. Verum ego eſſe authorem non ambigo, poſtquam comperi ſummum illum omni litteraturæ genere virum, & viuum Romanæ Curiæ Oraculum, Reuerendiſſimum P. Abbatem Generalem, P. Hilarionem, recepiſſe P. Franciſci Biuarij Commentarios; eoſque cum Dextri opere approbaſſe: cuius apud me tanta eſt authoritas, vt ei nequeam refragari. Cui nobilem addidit calculum alterum ſacræ litteraturæ lumen Seraphici ordinis decus P. Lucas Vvadinghus, qui cum eodem P. Hilarione librum approbauit. Cæterum hic author aduentum Sancti Iacobi in Hiſpaniam luce meridiana clariorem reddit: quare abſtineo locos producere, cum infinitum eſſet recenſere. Vbique ſanè dextrum hoc ſidus Iacobum Apoſtolum aperit, & demonſtrat.

Sextum Seculum ab Anno 500. ad 600.

Aprincio viro Sanctiſſimo Epiſcopo Pacenſi; de quo Sanctus Iſidorus lib. de viris illuſtribus cap. 30. meminit, ſuus in hoc ſeculo eſt locus. Floruit quippe anno Domini 510. centum ferme ante Iſidorum annis, de eo commemorat Ioannes Grial in ſcholijs ſuper opera Iſidori, & Alcazar in Apocalyp. p. 1. lib. 1. in Not. procemia- *Aprincius*

libus nota 26. ſ.1. & 3. Hic in Apocalypſim egregios edidit comentarios eodem Iſidoro Authore. In his ad cap.1. interpretatione de nominibus Apoſtolorum adhibita. *Singuli*, inquit, *eorum ad prædicandum ſortes in mundum proprias acceperunt. Petrus namque Romam accepit, Andreas Achaiam, Thomas Indiam, Iacobus Hiſpaniam.*

Anaſt. Sinait Anaſtaſij Sinaitæ Antiocheni Epiſcopi grauis Authoritas eſt. Scripſit is librum de paſſionibus Apoſtolorum, quem Ignatius nuperus Patriarcha Antiochenus Clemente VIII. Pontifice Romam detulit, ac inuenitur in Bibliotheca Dom. Ioſephi Stephani Bitontini *primum*, poſtea Orioleníis Epiſcopi eumque citat in ſuo de Poteſtate coactiua Romani Pontificis opere, celebraturque ab omnibus ferme huius, & ſuperioris ſeculi Hiſpanis ſcriptoribus, quorum ingentem texit catalogum Erze Ximenes, & idoneum authorem exiſtimat Gaſpar Sanchez in tractatu de Aduentu Sancti Iacobi Apoſtoli in Hiſpaniam, & P. Chriſtoforus Caſtrius Societatis IESV in Hiſtoria Beatæ Virginis cap.8. ab hoc *igitur* huiuſmodi teſtimonium habemus. In hac die multiplicibus cruciatibus affectus eſt Beatus Iacobus Apoſtolus Frater Ioannis filius Zebedæi. Idque poſtquam abijt in occidentem in Ciuitatem Andiat, & fecit apud eos miracula quæ homines attoniti ſtupebant, ita quod conuerterit eos ad cognitionem filij Dei excelſi. Tunc reuerſus eſt ad Ciuitates Paleſtinæ prædicauit apud eas Euangelium Chriſti.

Se-

Septimum Seculum ab anno 600. ad 700.

Initium Iſidorus eſto. Hiſpalenſis Epiſcopus, & Hiſpanorum doctiſſimus, Leandri frater natu minor, quo magiſtro vſus eſt, eique ſucceſſit in gradu, ſed doctrina anteceſſit. Hic libro de ortu, & obitu Patrum, quem Bellarminus inter germana eius opera recenſet cap. 73. *Iacobus* inquit, *Zebedæi filius, frater Ioannis, quartus in ordine, duodecim Tribubus, quæ ſunt in diſperſione gentium ſcripſit, atque in Hiſpania, & Occidentaliũ locorum gentibus Euangelium prædicauit, & in occaſu mundi lucem prædicationis infudit.* Et rurſum cap. 81. *Singuli,* ideſt Apoſtoli, *proprijs certiſque locis in mundo ad prædicandum ſortes proprias acceperunt. Petrus namque Romam accepit, Andreas Achaiam, Iacobus Hiſpaniam, Ioannes Aſiam, Thomas Indiam, Matthæus Macedoniam, Philippus Galliam, Bartholomæus Lycaoniam, Simon Zelotes Aegyptum, Iacobus Frater Domini Hieroſolymam, Iudas frater Iacobi Meſopotamiam. Paulo autem cum cæteris Apoſtolis nulla propria ſors traditur, quia omnibus gentibus Magiſter, & Prædicator eligitur.* Iſidorus

Iulianus Archiepiſcopus Toletanus creatus anno 680. & poſt decennium, ideſt anno 690. mortuus. Hic alius eſt à Iuliano Pomerio, quem Gennadius in ſuo Virorum illuſtrium catalogo ponit, & ſibi æqualem dicit. Eſt enim hic noſtro multò antiquior, & ab eodem citatur in Prognoſtico. Diuerſus item eſt ab alio Iuliano Pomerio, qui præfationem addidit ad libros Sancti Ildefonſi, qui poſterior eſt noſtro. Conſtat enim Iulianus

 fuiſſe

fuiſſe tres Iulianos eiuſdem cognominis in eadem Eccleſia Toletana. Vnum Presbiterum antiquiorem: alterum Archiepiſcopum medium: tertium Diaconum poſtremum. Incidit hic de quo agimus in ſeptimum ſeculum creatus Præſul Toletanus anno 680. mortuus anno 690. In Faſtos Eccleſiæ poſtea relatus. Eius meminit Fœlix eiuſdem Eccleſiæ Toletanæ Antiſtes ad finem libelli Sancti Ildefonſi de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Fuit autem maximè deditus doctrinę Auguſtini, vt apparet in eius Prognoſtico. Tria eius extant opuſcula. Primum Prognoſticon. Secundum contra Iudæos tres libros continens. Tertium Commentarius in Prophetam Nahum: quæ habentur tomo 7. Bibliothecæ Patrum. Igitur in hoc opuſculo tertio comment. in cap. 1. ad illa verba, & *Nebula puluis pedum eius*. Item ait alibi, de ijſdem; *qui appropinquant pedibus eius accipient de doctrina eius. Iſti ergo pedes Domini fuerunt qui eum prædicando per vniuerſum Mundum detulerunt. Petrus enim Roma (lege Romam) Andreas Achaiam, Ioannes Aſiam, Philippus Galliam, Bartholomæus Parthiam, Simon Aegyptum, Iacobus Hiſpaniam, Thomas Indiam, Matthæus Aetiopiam, Iudas Thadæus eum retulit Meſopotamiam, Iacobus Alphæi eum retinuit Hieroſolyma.*

Nahum I.

Quiſque ſua ſorte Chriſtum ſparſit ſine ſorde,
Per Paulum verò toto diſpergitur Orbe.

Braulius

Braulius Sancti Iſidori diſcipulus Cæſarauguſtanus Epiſcopus, qui tribus Concilijs Toletanis quarto, quinto, & ſexto ſubſcribit, & in Sanctorum Catalogo legitur 26. Martij, cùm in alijs quę

ſcri-

ſcripſit operibus, tum præcipuè in procemio ad opera Iſidori,aduenisse in Hiſpaniam Iacobum his verbis confirmat. *Sicut egregius Doctor Sanctus Gregorius ſucceſſit Petro, ita Beatus Iſidorus in Hiſpaniarum partibus Iacobo ſucceſſit Apoſtolo, ſemina namque vita æterna, quæ Beatiſſimus Iacobus ſeminauit, hic Iſidorus verbi prædicationis quaſi vnus ex quatuor Paradiſi fluminibus ſufficienter irrigauit, atque vniuerſam Hiſpaniam, tam exemplo boni operis, quam fama ſanctitatis velut ſplendidiſſimis ſolis radijs illuminauit.*

Octauum Seculum ab anno 700. *ad* 800.

Beda ſolus totum occupat ſeculum, celeberrimus author,ſuæ ætatis Auguſtinus,quocum ſemper ſentit, & loquitur. Is in Collectaneis, quod opus eſt in fine tomi tertij, & à Bellarmino, & Poſſeuino recipitur, quæ videntur ex Iſidoro, apud quem fortaſſe legerat excerpta: nec mirum cum ille liber inſcribatur excerpta, ſiue collectanea, cui fidem facit epiſtola de obitu Bedæ à quodam eius diſcipulo conſcripta,quam idoneæ authoritatis eſſe affirmat Baronius in additionibus ad Martirologium die 17. Maij, eamque vti incorruptæ fidei refert Surius ad eandem diem. Ex quo liquet Bedam in eadem Iſidori ſententia fuiſſe. Sed iam audiamus Bedam: *Apoſtoli Chriſti Prædicatores Fidei, & doctores Gentium certis in locis in Mundo ad prædicandum ſortes proprias acceperunt. Petrus namque Romam accepit, Andreas Achaiam, Iacobus Hiſpaniam, Thomas Indiam,* Beda

diam, Ioannes Aſiam, Matthæus Macedoniam, Philippus Galliam, Bartholomæus Lycaoniam, Simon Zelotes Aegyptum, Matthias Iudæam, Iacobus frater Domini Hieroſolymam, Paulo cum cæteris Apoſtolis nulla ſors propria traditur, quia in omnibus Magiſter, & prædicator eligitur. Vnus Beda huic ſeculo ſufficit, nec enim numeri, ſed ponderis ratio habenda.

Nonum Seculum ab anno 800. *ad* 900.

Leo III. Leo III. Pontifex Maximus initium eſto, Hic, vt ſupra diximus, aduentus Sancti Iacobi in Hiſpaniam grauis author eſt.

Vvalafridus Strabo. Vvalafridus Strabo Abbas vulgò Sancti Galli, verè Augiæ, diſcipulus Rabani, cuius opera tomo 5. Bibliothecæ Patrum continentur Theologus, Philoſophus, Poeta celeberrimus duodecimus Augiæ Abbas, creatus anno Domini 842. In libro Poematum, quem erutum ex Sancti Galli Bibliotheca dedit in lucem Henricus Caniſius, & eodem tomo 9. alijs operibus attexitur, inter cæteros, quorum elogia carmine ſcribit Apoſtolos, de Sancto Iacobo, quem appellat Fratrem Ioannis ſic.

Hic quoque Iacobus cretus genitore vetuſto
Delubrum Sancto defendit tegmine celſum,
Qui clamante pio ponti de margine Chriſto,
Linquebat proprium panda cum Puppe Parentum
Primitus Hiſpanas conuertit dogmate gentes,
Barbara diuinis conuertens agmina dictis,
Qui priſcos dudum ritus, & lurida Fana

Dæ-

Dæmonis horrendi decepta fraude colebat:
Plurimaque hic præſul patrauit ſigna ſtupenda
Quæ nunc in chartis ſcribuntur ritè quadratis,
Hunc trux Herodes Regni *Tetrarcha Tyrannus*
Percuſſum gladio crudeli morte necauit;
Quem Pater excelſus, qui Sancto Iure triumphat
Vexit in Aethereas meritis fulgentibus arces.

Turpinus Archiepiſcopus Rhemenſis Caroli Magni expeditionum comes, & rerum ab eo geſtarum ſcriptor: & ſi in eius hiſtoriam, vel temporis iniuria, vel inuidia Æmulorum, vel libidine otioſorum Fabulæ irrepſerint, author eſt tamen non ſpernendus, præſertim in ea parte, quæ ad expeditionem Hiſpanicam à Carolo ſuſceptam pertinet: nam ea à Calliſto II. adducitur, & fide digna redditur. Hanc ille Luitprando Decano Aquiſgranenſi dedicauit; ea tota plena eſt teſtimonijs huiuſce, quam confirmamus, traditionis, vt neceſſe ſit totam ex integro transferre, Locorum quæ dictis ab authore faciunt fidem, primus eſto capite 19. *Sicut*, ait, *per Ioannem Euangeliſtam Beati Iacobi fratrem in Orientali parte, apud Epheſum Chriſti fides, & Apoſtolica Sedes inſtituitur, ſic per Beatum Iacobum in Occidentali parte Regni Dei, apud Galleciam fides eadem, & Apoſtolica Sedes conſtituitur. Hæ ſunt procul dubio Sedes, Epheſus ſcilicet, quæ eſt ad dextram in Regno terreno Chriſti, & Compoſtella, quæ eſt ad ſiniſtram, quæ videlicet ſedes his duobus fratribus Zebedæi filiis, in diuiſione Prouinciarum contigerunt, quod ipſi petierant à Domino, vt vnus* Turpinus

ad

ad dexteram in Regno ſuo ſederet, & alius ad leuam.

IdemTurpin. Hæc ſedium interpretatio à Turpino videtur initium ſumpſiſſe eamque celebrem multi poſt eum authores reddiderunt, quorum vnus eſt Sanctus Thomas de Villanoua, ſermone de feſto Sancti Iacobi, quem ſuo loco referemus.

Alter ſumitur ex eodem capite 19. *Ego Turpinus Rhemenſis Archiepiſcopus Beati Iacobi Baſilicam, & altare cum ſexaginta Epiſcopis Caroli rogatu Calendis Iunij honorificè dicaui, & conſtituitur die illo, vt illa Eccleſia vocitetur Sedes Apoſtolica, eo quod ibi Apoſtolus Iacobus requieſcit.* Hiſtoriam dedicationis recipiunt cùm omnes Hiſpani authores, tum multi externi: Nicolaus de Lyra in caput etiam 6. Apocalyp. verſ. 12. & Baronius in Annotat. ad Martyrol. die 25. Iulij. Additamentum de Titulo Sedis Apoſtolicæ attributum Compoſtellano Epiſcopo apparet verum eſſe, ex loco illo à nobis ſuperius adducto Concilij, qui non ſolum ob ſepulcrum Apoſtoli mortui, ſed ob illius ſedem viui in illam Eccleſiam quadrat, nec enim ſolus tumulus ſatis erat, cum alijs Apoſtolis in Oppidis in quibus eorum ſepulcra viſuntur, eiuſmodi nomen tributum non fuerit.

NotKerus Notkerum Monaſterij Sancti Galli Abbatem, & ex Abbate Epiſcopum Leodienſem huius ſeculi fuiſſe tradit Antonius Yepes tomo 4. centuria 4. ad annum 849. quamuis nonnulli eum ad ſequens ſeculum reijciant, quod eum mortuum dicant anno 912. qua ratione vixiſſe cum oportuit noſtro, quod adornamus, ſæculo. Hic

ergo

ergo in Matyrologio, quod ſcripſit. *Natale*, inquit, *Beati Iacobi filij Zebedai &c. huius Beati Apoſtoli ſacratiſſima oſſa ad Hiſpanias translata, & in vltimis earum finibus contra Mare Brittanicum condita, celeberrima illarum gentium veneratione coluntur: nec immerito, quia eius corporali præſentia, & doctrina, atque ſignorum efficacia ijdem populi ad Chriſti fidem conuerſi referuntur, ad quorum fidei confirmationem etiam Beatiſſimus Apoſtolus Paulus ſe iturum eſt pollicitus.*

Eleca Epiſcopus Cæſarauguſtanus in additionibus ad M. Maximum ſępe tradit aduentum Sancti Iacobi; is eſt perſpicuus locus. *Memoria, dieſque feſtus ab ipſius in Hiſpaniam ingreſſu Sancti Iacobi Zebedai filij celebris habebatur, qui poſtquam Hiſpanias adijt, Epheſum comitatus eſt Sanctiſſimam Virginem vnà cum Ioanne fratre eius non priuſquam in Hiſpaniam veniret, ſed reuerſus ab Hiſpania, indeque reuerſus Hieroſolymam, prædicans fortiter, & conſtanter gladio percuſſus eſt.* Eleca

Loco Authoris eſto celebris illa Regis Ordonij Ramiri filij Ataulpho Compoſtellano Epiſcopo anno 892. facta donatio, vbi *pro reuerentia*, inquit, *& honore Beatiſſimi Iacobi Apoſtoli noſtri, & totius Hiſpaniæ Patroni cuius corpus tumulatum eſt in Gallecia in finibus Amatæ.* Certè illa vox Apoſtoli noſtri rem prorſus continet, & aduentum, & prædicationem confirmat.

Decimum Seculum ab anno 900. *ad* 100.

Luitprandus Inchoabit clariſſimus author Luitprandus Ticinenſis Diaconus,& poſtea Cremonenſis Epiſcopus ad Imperatorem Conſtantinum nomine Berengarij Imperatoris legatus anno 946. ſcripſerat hic hiſtoriarum ſui temporis libros ſex. Deinde compoſuit fragmenta quædam idoneæ authoritatis, in quibus hiſtoria Dextri à M. Maximo continuata vlterius ducitur. De quo ipſemet Luitprandus meminit in Epiſtola ad Treſtemundum Epiſcopum Illiberitanum, cuius rogatu hoc Opus ſuſcepit. Eius teſtimonijs vtuntur Hiſpani Scriptores fere omnes, ac inter eos P. Gabriel Vaſquez vir ſolidiſſimè doctus, & in recognoſcendis, & citandis authoribus accuratiſſimus Huius multa ſunt in rem hãc facientes ſententię. Illam vnam ſeligo anno 676. *Beatiſſima ſedes de Columna in vrbe Cæſarauguſtana, quæ conſtructa eſt iuſſu Virginis à Beato Iacobo cum in Hiſpania prædicauit anno* 37. *à natiuitate Chriſti*.

Sampirius Sequitur Sampirius Ouetenſis Antiſtes Rege Alfonſo III quem authorem laudat Prudentius Sandoual, Frze Ximenius, & alij complures. Huius eſt illud in Alfonſi Regis hiſtoria de conſecratione Compoſtellanæ Eccleſiæ præclarum teſtimonium. *In Altari quoque, quod eſt ſuper corpus Beati Iacobi Apoſtoli, quod conſecratum fuerat à ſeptem Diſcipulis eius, quorum nomina ſunt hæc Calocerus, Baſilius, Pius, Chryſogonus, Theodorus, Athanaſius, Maximus*.

Huic ſeculo aſſignanda eſt confirmatio Officij Muzarabici, in quo ſæpius commemoratur ad-

uen-

uentus Beati Iacobi in Hiſpaniam, facta à Ioanne X. Pontifice rogatu Regis Ordonij, Ioannelli interuentu, de qua Baronius tomo 10. ad annum 918. noſque ſuo de Breuiarijs loco diximus.

Momentum huic veritati addat diploma Regis Ramiri II. quod eſt anni 972. quo ſtabilitur donatio facta Compoſtellanæ Eccleſiæ. *Ob honorem* inquit *cælicoli, & Sanctiſſimi Iacobi Apoſtoli, cuius venerabile, & glorioſum tumulatum manet corpuſculum Hiſpanienſium in Regione, quam & inter cæteros Apoſtolus ſortitus Terra Gallitia.* Ramirus Rex

Vndecimum Seculum ab Anno 1000. *ad* 1100.

Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus authoribus Baronio, & Bellarmino in hoc Seculum incidit: citatur à Calliſto II. pro aduentu Sancti Iacobi cap. 31. Verba ſunt. *Hic eſt reuera Iacobus, quem amabat valde Dominus Chriſti miles emeritus, & ſignifer egregius, militiaque prouidus Gallitiæ Apoſtolus, Peregrinis notiſſimus, & bonore digniſſimus, miraculis mirificus, in gloria magnificus, quem cunctus petit Populus domeſticus, & Barbarus.* Ex periodi commatis, apparet rythmos eſſe: & quidem ille Officium Eccleſiaſticum compoſuit, & Miſſam de S. Iacobo edidit, eodem Calliſto ibidem authore. Fulbertus

Hugo Portugallenſis in Luſitania Epiſcopus lib. de hiſtoria Compoſtellana, qui liber reperitur in Archiuio Regij, & magnifici Conuentus Canonicorum Regularium Conimbricenſis Sancti Auguſtini, à Sàncta Cruce dicti, manuſcriptus litteris Gotthicis; & locus, & manus idoneam Hugo

ei fidem faciunt. Ad illius finem habetur Epiſtola quædam Hugonis, quæ tota plena *eſt teſtimonijs* huiuſce traditionis.

Huc pertinet approbatio Officij Muzarabici, data ab Alexandro II. miſſo ad id in Hiſpaniam Cardinali Hugone Candido anno 1080. conſtat ex libro Conciliorum Regij Monaſterij *Diui Laurentij* in Eſcuriali.

Officium Muzarabicum

Eiuſdem Seculi eſt altera facta à Gregorio VII. & commendata Riccardo ſedis Apoſtolicæ in Hiſpania tunc Legato, quemadmodum in eodem volumine continetur.

Tertia item Victoris III. aut Vrbani II. nam de vtro eſt Controuerſia, quippe *intra idem ſeculum* includuntur, cuius author eſt Iulianus Petri ad annũ 1086. quo accidiſſe refert illud celeberrimum de Miſſalibus in ignem coniectis, quod ſuperius adduximus miraculum, quorum cum neutrum fuerit conſumptum, vtrumque iuſtum, & idoneum eſt habitum.

Duodecimum Seculum ab Anno 1100. *ad* 1200.

Calliſtus II.

Otto Epiſc.

Omiſſo Calliſto II. Pontifice de quo multis ſupra egimus, cum de Pontificum teſtimonijs ſcripſimus, initium ſit ab Ottone Friſingenſi Epiſcopo, Henrici IV. Imperatoris nepote, Conradi Regis fratre Henrici V. Sororio, Friderici I. Patruo, Monaco Ciſtercienſi, & Abbate Murimundenſi, nobili eius ætatis hiſtorico. Is nobis in Chronico lib. 3. cap. 5. huiuſmodi teſtimonium præbet. *Iacobus*, inquit *iam ab Herode decollatus fuerat, qui tamen prius, vti dicitur, Hiſpanis prædicauerat.*

Suc-

Succedit Aulus Halo Burdegalenſis Gallus eiusdem temporis celebris Poeta, quem Conſtantia Soror Filippi, Filia Henrici Regum Galliæ, deſponſa Regi Alfonſo VI. ſecum in Hiſpaniam duxit, & poſtea Toleti, ob eximias eius dotes Ciuitate donatus. Extat Poema huius authoris de aduentu, & prædicatione Iacobi in Hiſpania, quod ego legi cum Commentarijs Ioannis Tamaij Salazarij, à quo eſt caſu inuentum. Quot ſunt illius carmina, tot ferme ſunt de hoc aduentu Oracula, pauca refero. Aulus Halo

Vltima ſic noſter compulſus ſorte Iacobus,
Illicò totius Hiſpaniæ cacumina luſtrat.
Huius in Hiſpanias aduentum edicere Præſul,
Nunc Toletane Iubes; Fidei promiſſa reſoluo,
Hiſpaniæ tunc regna Deo inſpirante Iacobo
Contingunt, &c.

Quod poema quo pluribus mendis ſcatet, paucos quippe verſus conſtantes reperias, eò magis fidem ſuam antiquitate commendat; nam vitio temporis, à quo ſunt exeſa, claudicant, & amiſſo nitore authoritatem retinent.

Eiuſdem ſeculi eſt Iulianus Perez, ſiue Petri Archipresbyter Toletanus, qui decrepitum Aulum noniſſe ſe ſcribit, claris natalibus, & ſcriptis. Legatus Romam à Rege Alfonſo VI. ad Calliſtum II. qui ei exemplum libri de Sancto Iacobo, dono dedit; ſcripſit Chronicon, & aduerſaria, & Himnos. In his operibus frequens mentio fit de aduentu, & prædicatione Sancti Iacobi in Hiſpaniam. Nec opus eſt citare locos, cum vbique occurrant. Extat eius Epitaphium de Aulo Halo Toleti ſepulto, non inconditum, & pro Iulian. Perez

tem-

tempore Idoneum. Aſſerunt hunc Authorem omnes pene Hiſpani, qui Iacobum vindicant, ac in primis Ximenius, & Lezana.

Pelagius Ouetenſis.

Pelagius Ouetenſis Epiſcopus certus &, conſtans eſt rerum Hiſpanicarum ſcriptor. Hoc Seculo floruiſſe ex eiuſdem apparet hiſtoria. Hic de aduentu, & prædicatione Sancti Iacobi in Hiſpania, eiuſque Diſcipulis multa, & præclara commemorat. Eumque pro cauſa citant grauiſſimi quique huiuſce traditionis vindices. Eum mihi videre non contigit.

Tertium Decimum Secundum ab Anno 1200. ad 1300.

Martinus Polonus

Martinus Polonus Archiepiſcopus ex Monacho, & Pœnitentiarius Innocentij IV. in ſuo Cronico ad annum Domini 34. ita. *Iacobus Maior Hiſpaniam circumiens, tandem Hieroſolymis decollatur.*

Vinc. Bellou.

Vincentius Bellouacenſis in ſpeculo hiſtoriali, tom. 4. lib. 8. cap. 7. *Iacobus*, inquit, *ſpeciales Diſcipulos habuiſſe legitur: tres Hieroſolymis, vnum in Gallitia cum adhuc viueret Apoſtolus elegiſſe dicitur*. Notior eſt hic author, quam vt commendari debeat, & Ordinis Prædicatorum lumẽ.

Vincent. de Tornaco

Manuſcriptum extat inſcriptum ſermones de Feſtis, Gilberto de Tornaco Ordinis noſtri Franciſcani authore, anni plus minus 1242. in quo de Sancto Iacobo Hiſpaniarum Apoſtolo fit mentio, & inter alia, *redierat* inquit *Hieroſolymam de Hiſpania, cum præſentiret diuinitus mortis ſibi imminere tempus.*

Con-

Confirmant hanc doctrinam litteræ ſolemnes Regni Sancij Tertij, in quibus continetur conceſſum donũ Eccleſiæ Sancti Ioannis Naranci Benedictinæ Familiæ: *dignatus eſt*, ait, *Chriſtus mittere Apoſtolos ſuos prædicantes Euangelium vniuerſo Mundo: inter quos noſter vnus Zebedæi filius Hiſpaniam ſortitus eſt.* Rex Sancius III.

Gulielmum Durantem Mimatenſem Epiſcopum in ſuo Rationali diuinorum Officiorum lib. 7. cap. 12. audiamus. *Iacobus filius Zebedæi frater Ioannis Euangeliſtæ miſſus eſt, ad prædicandum Hiſpanis, ſed cum non poſſet, niſi vnum Diſcipulum ibi conuertere, redit Hieroſolymam, ſed tandem ab Herode decollatus, & in Hiſpaniam reportatus, quos viuus conuertere nequiuit, mortuus diuino miraculo conuertit.* Idem tradit Ioannes Bellethus in opuſc. de explicatione diuinorum Officiorum, quæ eſt Appendix libri Durantis, ac idcirco vtrunque coniungo. Guliel. Dur. Ioan. Bellet.

Affirmat huiuſmodi aduentum Thomas Cantipratenſis ex Ordine Prædicatorum, Alberti Magni auditor, Epiſcopus ſuffraganeus Epiſcopi Cameracenſis, & Felix Doctoris Angelici Doctoris diſcipulus lib. 7. de Apibus c. 25. cum eodem ſentit Iacobus de Voragine in opere, quod legenda Sanctorum appellauit. Thom. Cantr

Seculum Quartum Decimum ab Anno 1300. *ad* 1400.

Felix, fauſtumque huic ſeculo eſto, Nicolai de Lyra clariſſimi authoris, & iuſti ſacrorum librorum Interpretis teſtimonium. Hic in Commentarijs Nicolaus de Lyra.

rijs ad cap. 1. Abdiæ ad illa verba: & tranſmigratio Hieruſalem, quæ in Boſphoro eſt, ſic ait in HAEBREO SEPHARAT id eſt in Hiſpania, vt dicit Rabbi Salomon, quod fuit impletum per Iacobum Apoſtolum ob eius Diſcipulos ibi fidem Chriſti prædicantes, & colla gentium ſubiugantes.

Anonymus. Adiungamus huic authorem Anonymũ noſtri, & eiuſdem inſtituti, in volumine inſcripto ſermones de Dominicis, & Feſtis habitis Lutetiæ Pariſiorum, quod ex ijs compactum inde Romam attulit Eminentiſſimus Princeps Cardinalis Franciſcus Maria de Bagni, vbi inter alia. *Quis non miretur*, inquit *Iacobum poſt Aſcenſionem Domini perluſtraſſe Iudæam, & Samariam. Deinde in Hiſpaniam cucurriſſe zelo prædicationis, & demum rediiſſe Hieroſolymam, vt Euangelizaret Chriſtum.*

Petr. de Nat. Accedat Petrus de Natalibus, Equilinus Epiſcopus Venetus, nobilis ſcriptor lib. 6. cap. 99. & 133. Adſtruit Sancti Iacobi aduentum in Hiſpaniam his verbis. Iacobus poſt Aſcenſionem Domini, dum per Iudæam, & Samariam prædicaſſet, in Hiſpaniam tandem iuit, vt ibi verbum Domini ſeminaret, ſed cum ibi quaſi nihil proficere videretur, & quod ſolummodo nouem Diſcipulos conuertiſſet, duos ex illis ibi reliquit, & alios ſeptem ſecum aſſumens in Iudæam redijt.

Seculum Quintum Decimum ab anno 1400. ad 1500.

Quo maior erat ſcriptorum copia, eo plura ſuppetebant teſtimonia; vt horum inopia, ſeculorum

lorum potius iniuriæ, quam ſcriptorum incuriæ ſit imputanda. Igitur in hoc ſeculum maior vis ſcriptorum incubuit.

Sanctus Vincentius Ferrerius eximius, imo Apoſtolicus Prædicatorum Ordinis Concionator, ſuæ ætatis Oraculum, ſermone de Sancto Iacobo Apoſtolo: *Modo quis fuit primus Apoſtolus, qui hanc legationem exequebatur eundo per vniuerſum Mundum? Non Petrus, nec Andreas, nec Ioannes, &c: Sed Iacobus iſte. Vnde euntibus Hieruſalem Virgine Maria, & Apoſtolis, Beatus Iacobus recepta ab ijs licentia venit in Hiſpaniam prædicans de Chriſto, quia Chriſtus dixit ijs, eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa, & Samaria vſque ad vltimum terræ. Ideo Beatus Iacobus venit ipſum teſtificari à finibus terræ.* S. Vincentius

Alphonſus Toſtatus Abulenſis Epiſcopus ob doctrinæ præſtantiam, & varietatem, & ſcriptorum copiam mundi ſtupor, tribus in locis aduẽtum Sancti Iacobi in Hiſpaniam confirmat. Primum in explicatione prologi Sancti Hieronymi ſuper Matth. part. 194. *Prouincias inter ſe diuiſerunt. Prouenit tunc Beato Matthæo ab Aethiopia quantum ad partem Nubianorum, & Beato Iacobo Hiſpania, & Beato Thomæ terra Indorum, & Beati Simoni terra Aegypti, & Beato Andreæ terra Græcorum.* Rurſus in 3. parte ſuper cap. 19. Matth. quæſt. 33. *Dicendum* inquit, *quod iſte Iacobus vocatur, cum apud Hebræos vocaretur Iacob, & tamen cum accipit formam latinam dicitur* Iacobus, *iſte vocatus* Iacobus *Zebedæi, quia erat filius Zebedæi, iſte Iacobus, quem Chriſtus valde dilexit, & fuit vnus, qui familiariter recipiebatur à Chriſto* Alph. Toſt.

ad omnia ſecreta. infra cap. 17. & 26. Lucæ 9. *iſti Iacobo aſſignata eſt ſorte prædicationis Prouincia Hiſpania*. 34. p. cap. 17. quæſt. 13. *non eſt* ait *dubitandum, quin iſte Iacobus fuerit Iacobus Zebedæi, & non eſt ille, qui rexit Eccleſiam* Hieroſolymitanam *poſt Chriſtum, ſed ille, qui occiſus eſt ad Herode act. 12. ſcilicet. Occidit autem* Iacobum *fratrem Ioannis gladio, & ille eſt, qui venit prædicaturus in Hiſpaniam, & ibi ſepultus manet.*

S. Antonin. Sanctus Antoninus Archiepiſcopus Florentiæ, doctrina, & Sanctitate illuſtris tom. 1. tit. 6. cap. 7. ſic ſcribit. *Iacobus igitur poſt aduentum Spiritus Sancti ad Hiſpanias acceſſit ad prædicandum, & cum videret gentem illam agreſtem doctrinam eius non accipere, nam tantum nouem, vel ſecundum alios tantum duos ad fidem conuertit; illos duos ſecum ducens reuerſus eſt Hieroſolymam.*

Turrecrem. Turrecremata Cardinalis inſignis Theologus, & Iuriſconſultus lib. in Euangelia de Sanctis, ſermone de Iacobo Apoſtolo diſputans. Vtrum Iacobus ſit lux Hiſpaniæ ait. *Dicitur quidem lux ratione illuminationis doctrinæ Fidei, qua ratione dixit Chriſtus Apoſtolis. Vos eſtis lux mundi, ſingulariter Beatus Iacobus primo perſonaliter,* poſt per *Diſcipulos ſuos, quos ibi gratia prædicandi reliquit, illuminauit terram Hiſpaniæ, lumine doctrinæ, & exemplo ſanctitatis, vt hiſtoria ſua teſtatur, & tandem miraculorum multitudine viſa, quæ Beatus Iacobus virtute diuina operabatur, Regina Hiſpaniæ ſtupens credidit, & Chriſtiana effecta eſt, & omnia quæ petierant ſuis Diſcipulis tribuit, & Palatium Sancto* Iacobo *in Eccleſiam dedicans magnificè ipſum dotauit, quæ tandem in bonis operibus vi-*

tam

tam finiuit, ita vt facto computo ſicut Beatus Iacobus fuit primus inter Apoſtolos, qui martyrium pro Chriſto ſuſcepit. Ita Regnum Hiſpaniæ videtur inter omnia Regna prius Fidei lumen per Chriſtianitatis titulum ſuſcepiſſe.

Iacobus Philippus Bergomas Auguſtinianus ad annum 5242. ita. *Iacobus inquit maior Apoſtolus Domini, Zebedæi ex Maria Salome filius, ac Diui Ioannis Euangeliſtæ frater, quem Dominus vna cum eodem Ioanne fratre vocauerat dicens; Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominũ: quique relictis retibus, & Patre ſecuti fuerant eum, hoc Anno poſtquam prædicando vniuerſam peragraſſe Hiſpaniam, in qua nouem tantum Diſcipulos conquiſierat, in Iudæam reuerſus ab Herode Agrippa Regis fratre, qui in Hieruſalem Fratris vices gerebat obtruncatione capitis martyris palmam adeptus eſt. Eius autem ſacratiſſima oſſa poſtmodum Diſcipuli ipſius ab Hieruſalem ad Hiſpanias tranſtulerunt, vbi ſcilicet prædicationis officium viuens exercuerat, atque ibidem in Vrbe Gallitia, quæ eſt in vltimis finibus Hiſpaniarum condidere, quæque celeberrima gentium illius, & peregrinarum nationum veneratione excoluntur, cuius feſtum 8. Cal. Auguſti.* Iacobus Philippus Bergomas.

Coronidem huic Seculo imponant Epiſcopi quatuor huius aduentus Authores, Primus Cabilonenſis in Topographia Sanctorum, Robertus Caraciolus Aquinas, & poſtea Liciſenſis in duabus ea de re concionibus. Alphonſus Carthagena Burgenſis in ea, quam apud Patres Baſilienſes in eo Conuentu habuit oratione. Rodericus Sancius Palentinus in hiſtoria dicata Henrico IV.

tomo 1. parte 1. capite 4. Compendij hiſtor.

Sextum Decimum Seculum Ab Anno 1500. *ad* 1600.

Hoc abundat ſcriptoribus, Diuina prouidenfactum, vt cuius ad finem ſeculi mouenda erat ea de re quæſtio, illius curſus, aſſertores, & defenſores ſuppeditaret. Illorum numerus ægrè iniri poterit, præſertim ab eo tempore, quo Hiſpani ingenio acuto, & conſtanti, ad ſtudia litterarum facto defenſionem ſui Apoſtoli ſuſceperunt. Eo enim ſtudio ſcripſere, quo bellare ſoliti ſunt. Itaque nubem Teſtium coegerunt, & in Aduerſarios fulminarunt: quare in hoc ſeculum *ita* me geram, vt ex multis paucos eligam, quorum authoritas pondus habeat; cæterorum multitudinem, cum ea quæ noſtro hoc ſeculo prouenit, indicabo tantum, & qui aliorum catalogos texunt eos nominatim producam, ac ſi quis aut illos latuit, aut poſt illos ſcripſit, illum omnino adiungam.

S. Thomas à Villanoua. Princeps huius ſeculi eſto: Sanctus Thomas à Villanoua Archiepiſcopus Valentinus Auguſtinianus recens in Faſtos ab ALEXANDRO VII. relatus, tum in eo ſermone, quem coram Imperatore Carolo V. tum in alio, quem apud equites eiuſdem Sancti Iacobi habuit, quorum tota ſeries aduentum in Hiſpaniam Sancti Iacobi Apoſtoli confirmat, ac in fine poſterioris ſic. *In hoc Regno* inquit *Cœlorum, idest Eccleſia petitionem illorum adimpletam videmus, nam Ioanni ſedes data eſt in Aſia, quæ eſt ad dexteram Ieruſalem,*

&

& Iacobo ad Hiſpaniam, quæ eſt ad ſiniſtram partem.

2 Iacobus Middendorpius magni nominis externus author, in eo quod de Chriſtianis Academijs ſcripſit, & Coloniæ typis edidit volumine Pio V. dicato, dum Hiſpaniam commendat, lib. 3. ſic *Veram Chriſtianam Philoſophiam ab ipſis Apoſtolis didicerunt, quod enim Diuus Iacobus eam in Hiſpania tradiderit, notius eſt, quam probare oporteat.* Middendorp.

Garcias Loayſa Archiepiſcopus Toletanus poſtea Hiſpalenſis, & Romanæ Eccleſiæ Cardinalis, Vir doctiſſimus in notis ad Concilium Toletanum in decreto Regis Gundemari 2. tomo Concil. p. 1. *Beatus* inquit *Iacobus in Hiſpaniam venit, & ibi prædicauit Chriſti Euangelium, & poſtea relictis duobus in Hiſpania Diſcipulis cum reliquis in Iudæam venit, ibique martyrium primus omnium Apoſtolorum ſubijt. Corpus à Diſcipulis Nauigio impoſitum in Hiſpaniam appulit* 8. kal. *Auguſti, & in Ciuitate Iria ſitum. Demum Compoſtellam tranſlatum* 3. kal. *Ianuarij, quo die in tota Hiſpania tranſlatio eius celebris eſt.* Garcia Loayſa.

Ioannes Raulinus Monachus Cluniacenſis Sacrarum litterarum Pariſijs profeſſor 2. p. ſermonum de Sanctis, ſermo 2. de Sancto Iacobo, *poſtquam Dominus* inquit *aſſumptus eſt in Cœlum, cœperant Apoſtoli prædicare verbum Domini in Hieruſalem, & in vicinas partes, quo tempore Beatus Iacobus ſeceſſit in parte Gallitianas ad prædicandum verbum Domini Gallicianis.* Ioan. Raulin.

Ioannes Vaſæus in Chronico anno Chriſti 37. *Diuus Iacobus Apoſtolus filius Zebedæi in Hiſponia præ-* Ioan. Vaſæus

prædicauit Euangelium Chriſti.

Iacob. Pamel. Iacobus Pamelius vir eius ſeculi eruditiſſimus in ſacris litteris, & profanis, commentarijs in Cyprianum, & Tertullianum, & alijs operibus illuſtris, quem ſæpe, ac multum commendat Baronius, in Notis ad librum aduerſus Iudæos Tertulliani nota 41. ſuper illis verbis. *Hiſpaniarum omnes termini. Videntur* ait *Hiſpaniæ Regna omnia iam tum Chriſti fidem ſuſcepiſſe, inter quæ præſes Religionis Chriſtianorum hoſtis recenſetur à Tertulliano loco citato, & eiuſdem ac Aſturicæ Beatus Cyprianus Epiſtola 68. Ibi vide annotationes noſtras numero 2. atqui Hiſpaniarum Apoſtolus iuxta Beatum Iſidorum, Beatus Iacobus maior.*

Thom. Stapl. Thomas Stapletonus Anglus inſignis vtriuſque Theologiæ, Polemicæ, & ſcholaſticæ Doctor, qui lib. de magnitudine Romana in lucem edito anno 1596. cap. 3. *Verum* ait, *& indubitatum eſt toto terrarum Orbe veluti in Prouincias diſtributo, facta primum in Iudæa, & Samaria diuini Euangelij prædicatione, iuxta ordinem à Chriſto præſcriptum, Petrum in Italia, Paulum in Græcia, Andream in Arabia, Ioannem in Aſia, Iacobum in Hiſpania, hoc Chriſti Euangelium,* cuius *caput eſt Roma, latiſſimè propagaſſe.*

Ioan. Marian. Ioannes Mariana acri iudicio integer, & ſeuerus author, qui ſi hoc ambiguum duceret, minimè affirmaret, de rebus Hiſpaniæ lib. 4. *Iacobus Zebedæi filius cognomento maior Iudæa, atque Samaria obitis venit in Hiſpaniam, authore Iſidoro, nouaque in ea Prouincia Euangelij luce propagata Cæſarauguſtæ Virginis Matris nomine, eius monitu, Templum conſtitutum eſt.* Et infra. *Sed Hiſpania*

ta-

tamen Hieroſolymam cum reuertiſſet, quam ob cauſam inceptum in ea Vrbe ab Herode Aggrippa Regnum Iudæorum à Claudio acceptum grato initio cupiens auſpicari interfectus eſt, Anno ſalutis 42. 8. Kal. Aprilis, & mox corpus à Diſcipulis ſublatum, nauique impoſitum ad Iriam Flauiam in extrema Gallecia, cui Oppido hodie Patrono nomen eſt, conſtitit, ad 8. Kal Auguſti, vnde Compoſtellam migrauit.

Andreas Reſendius Vir ſuæ ætatis eruditiſſimus, & ſtudioſiſſimus veritatis, & Hiſpanicarum præcipuè in Luſitania antiquitatum indagator acerrimus, à quo libellus de translatione Corporis Iacobi Apoſtoli ſcriptus eſt, quemadmodum ipſemet narrat, in Epiſtola ad Ioannem Vaſeum, de Colonia Pacenſi. Is ergo ibi affirmat, ſedem Irienſem Compoſtellam eſſe translatam, Et in Epiſtola ad Bartholomæum Kebedium *Iacobum Apoſtolum Hiſpaniarum* appellat. Eundem rurſum Patronum Hiſpaniarum vocat lib. 4. antiquitatum Luſitaniæ, & obſetuat die illius Natali inſigni, memorabilem de Mauritanis quinque Regibus ab Alfonſo I. Luſitanorum Rege in Campo Orichij victoriam partam fuiſſe. Cui Authori eo maiorem habere fidem volo, quò ille eſt candidior, & incorruptior, & à ſtudio partium alienior. Andr. Reſen.

Breuitati ſtudendum. Indico tantum, non cito Authores; ex multis pauci à me adducentur. Tarafa de Regibus Hiſpaniæ, parte prima in Claudio Caligula. Marineus Siculus in Hiſtoria Rerum Hiſpaniæ lib. 5. Morales in Cronicis Hiſpaniæ, prima parte lib. 9. cap 7. Beuter in Croni- Tarafa

Garibai cis Hiſpaniæ parte prima. Garibai lib. 7. cap. 3. & 4. & lib. 23. cap. 72. Zurita lib. 1. Annalium Aragoniæ cap. 44. Rades de Andrada in Hiſtoria trium Ordinum Militarium. Alphonſus Villegas in *vitis* Sanctorum. Aloyſius Lippomanus in iiſdem. Illeſcas lib. *6.* cap. 18. Pater Azor. p. 2. lib. 1. cap. 7. Pater Petrus Ribadeneyra grauis, & elegans vitarum Sanctorum ſcriptor, Genebrardus in Cronologia Anno 4233. Feuardentius in Irenæum lib. 1. cap. 3. Magiſter Isla de Ordine Sancti Iacobi cap. 3, Frater Angelus de Paz tom. 1. Symboli lib. cap. 7. Idem tradunt quatuor inſignes Ieſuitæ externi, Ricardus Haller in Opuſculo de doctrina Sancti Iacobi, Thomas Saulius in Theſauro litaniarum, Antonius Poſſeuinus tomo 1. Bibliothecę lib. 4. cap. 2. Nicolaus Serarius Opuſculo de Apoſtolis cap. 8. de Iacobo. Addo quintum grauiſſimi Iudicij, inſignis virtutis, ſolidæ eruditionis Virum, fidei vindicem acerrimum, malleum Hæreticorum, Petrum Caniſium lib. 5. de Beata Virgine cap. 2. Siſto, & omiſſis alijs, tanquam ad duas columnas, quibus non plus vltra inſcripſerim ſeculum *hoc* allido, & finio. Hi ſunt duo præſtantiſſimi Authores pares doctrina, virtute, authoritate, fama profeſſione tamen diuerſi, ambo Theologi Tridentini, alter Pontificius, alter Imperatorius: Dominicus Soto, & Alfonſus Salmeron, quorum ille Commentarijs in cap. 15. Epiſtolæ ad Romanos ſuper illis verbis *Nunc vero*, num. 23. & 24. S. Colligere. Hic vero in Acta Apoſtolorum, tract. 8. Aduentum Sancti Iacobi in Hiſpaniam aſſerit.

Genebrard.

Serarius

Caniſius

Ope-

Operæ pretium tamen erit aliquos ſcriptores adducere ex multis, qui Apologias pro hac traditione aduerſarijs obtulerunt, quorum primus ſit D. Ioannes de Velaſco Magnus Comeſtabilis Caſtellæ Regni quem laudat, & ſe ſolum legiſſe fatetur Lorinus in Acta. Frater Ferdinandus Oxea Ordinis Prædicatorum. Bartholomæus Laurentius Prior Sanctæ Mariæ del Pilar. Prudentius Sandoual Pempelonenſis Epiſcopus tom. de fundat. Franciſcus à IESV, Xodar Carmelitanus, Ioannes Beltranus de Gueuara Compoſtellanus Archiepiſcopus libro de aduentu Sancti Iacobi. Auguſtinus Marinus P. Oratorij lib. de ſelectis hiſtorijs Iacobi magnus defenſor, Maurus Caſtellà Ferrerius vir eruditiſſimus, & Iacobi aduentus aſſertor acerrimus, Michael de Salinas Vinuella Auditor Generalis Claſſis Hiſpanicæ, Gregorius Lopez Madera Senatus ſupremi conſultor. Frater Didacus Murillo Franciſcanus. Didacus Valdeſius Iuris canonici Doctor primus. Gaſpar Scholanus Hiſtoricus Regius. Ioannes Salazarius in Eccleſia Sancti Iacobi Magiſter, & Cardinalis. Cenedus ad Decretum Collectan. 43. Ferreolus in lib. de Maria Auguſta Virgine Deipara lib. 2. cap. 2.

Seculum decimum ſeptimum ab Anno 1600. *vſque ad* 1662.

Tot ſunt in eo Scriptores, vt vel leues eorum calami oneri ſcripturo futuri ſint; ſtimulauit nimirum Hiſpanorum ingenia, obiecta illa difficul-

tus, quæ inſtar cotis acuit, non inſtar obicis tardauit ſcribentes, adhuc intra curriculum, & non multum vltra medium prouecti, cum ob multitudinem in meta eſſe poſſemus. Obruor itaque pondere, ac neceſſe eſt illud à me in humeros aliorum reijcere. Itaque paucorum quorumdam, ſed illuſtria teſtimonia primum proponam, deinde eos proferam, qui alios diligenter collegerunt, & accuratè citarunt, quos qui velit, conſulat.

Cornelius à Lapide.

Primus eſto P. Cornelius à Lapide inſignis ſacrarum litterarum tum Louanij, tum Romæ interpres, qui multis in locis affirmat Sanctum Iacobum in Hiſpaniam veniſſe, ex quibus vnum tantum profero cap. 12. v. 2. Actuum Apoſtol. ſic ait. *Quo Anno Apoſtoli diſperſi ſunt, Sanctus Iacobus in Hiſpanias profectus eſt; eum enim in Hiſpania prædicaſſe vniuerſalis eſt, & immemorabilis non tantum Hiſpaniæ, ſed & fidelium vbiquè traditio, cui refragari nemo queat. Iacobus ergo in Hiſpanias profectus eſt ſub annum Chriſti* 37. Excitata item quæſtione, cur Herodes occidit Iacobum præ cæteris Apoſtolis? Reſpondet primo, & ſecundo afferendo alias rationes, & addit. *Tertio quia ex Hiſpania obita celebris rerumque geſtarum gloria clarus oculos omnium in ſe conuertebat.*

Abrahamus Zouius.

Sequatur Abrahamus Zouius Polonus inſignis Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ poſt Baronium ſcriptor tomo 14. Anno Chriſti 1336. loquens de templo Diuæ Virginis à Columna Cæſarauguſtana. *Aedificata eſt*, inquit, *magnificè cella in qua ferè omnia quæ Sancto Iacobo acciderunt in Hiſpania effictà*

effecta ſunt, & expreſſa. Idem. *Traditio eſt apud Cæſarauguſtanos Diuum Iacobum cum diſcipulis ſuper ripam Iberi præterfluentis, vbi nunc ampliſſima Eccleſia cernitur, noctu deſcendiſſe. Indidem oraſſe, & ſecundum quietem Angelorum Choros aſpexiſſe, audiſſeque occinentes Aue Maria Gratia Plena &c.*

Tertius eſto Michael Inkoferus Auſtriacus Societatis IESV in eo tomo quem edidit ſuper epiſtola B. Virginis data Meſſinenſibus. *Iam vero,* inquit, *de Iacobo Zebedæi qui neſciat ſolem videtur ignorare, quantus enim hic cultor, ac prædicator Virginis extiterit, teſtatur illa celeberrima ædes Cæſarauguſtana, quam ipſius Deiparæ in Columna apparentis monitu Iacobus iam apud Hiſpanos per menſes quindecim occupatus excitauit, teſtatur ipſa Magnalium illibatæ Virginis ab eiuſdem Iacobi prædicatione celebris, ac per manus ducta traditio.* Michael Inkoferus.

Quartus ſit Frater Aegidius à Præſentatione Auguſtinianus Vniuerſitatis Conimbricenſis Doctor, & Magiſter primarius, ac eiuſdem Moderator vir profundæ eruditionis tomo vnico de Immaculata Virginis Mariæ Conceptione lib. 3. quæſt. 3. art. vnico ſect. 4. §. 3. quamquam obiter, quod de Sancto Cœcilio loquatur, aduentum Sancti Iacobi in Hiſpaniam tanquam certum ſupponit his verbis. *Illa opinio mihi ſit veriſimillima, quæ affirmat Iacobo Hieroſolymis ab Herode Agrippa occiſo Act. 12. anno 44. Claudij autem 2. Sanctum Cœcilium cæteroſque Iacobi diſcipulos Epiſcopos creatos, cum corpore Magiſtri ſui Iacobi in Hiſpaniam miſiſſe, vt cœptam à Iacobo prædicatione n perficerent.* Aegid. à Præſent.

Franc. Villaf. Quintus Doctor Franciſcus Villafanius Epiſcopus Mondonedonenſis, & Oxomenſis tractat. Latino inſcripto, Compendium facti, & iuris vnici Patronatus Sancti Iacobi. *Nouiſſimum,* inquit *eſt, nec à ſeculo auditum, quod Hiſpania alium cognoſcat Patronum præter Iacobum Apoſtolum, quem Fidei primũ Magiſtrum Chriſtianæ Religionis fundatorem ſtrenuum militiæ Ducem, in difficillimis prælijs viſum inter inimicorum phalanges bellantem veneratur, & colit.*

Anton. Vaſc. Sextum Pater Antonius Vaſconcellius Luſitanus è Societate IESV ſummæ fidei, & integritatis author, quique res hiſtorias exiliter reuocare ad calculos ſolet, in Anacephalæoſibus Regum Luſitaniæ in Deſcriptione Luſitaniæ. *Conſtat igitur tam fide à Parentibus tradita, quam plurimis antiquiorum monumentis per vniuerſam Hiſpaniam Iacobum fuiſſe concionatum, quod plurima teſtantur Eccleſiæ, in quibus Apoſtoli diſcipulis in ijſdem apud fideles vicarijs ſui relictis pro magiſtro ſacra fiunt, & antiquiſſima pſalmodia eorum laudes, & facta ſanctiſſima celebrantur.* Ac ne quis Baronij authoritate moueatur. *Eſt illud* ait, *verum, non ſatis conſtare quo tempore in Hiſpaniam Iacobus tranſmiſerit? Et hoc Baronio Cardinali anſam præbuit vocandi in controuerſiam iure ne Hiſpaniam inuiſerit? Bona tamen tanti authoris venia, non ſine magna pietatis iactura, eius in hac re ſententia ſanis ab authoribus recipitur.*

Auguſt. Bar. Septimus Auguſtinus Barboſa item Luſitanus nominis celebritate clariſſimus, ac ob multitudinem librorum, & varietatem, ac profundita-

tem

tem Canonicæ doctrinæ, doteſque eximias Epiſcopus ab Rege creatus lib. de officio, & poteſtate Epiſcopi, 1. p. tit. 3. cap. 8. multus eſt in hoc probando. Decerpo illa. *Nec iam dubitare licet de aduentu Diui Iacobi in Hiſpaniam.* Et illa. *Antequam cæteri Apoſtoli diuiderentur anno 36. Beatus Iacobus in Hiſpaniam venit, ibique Fidem Catholicam prædicauit.*

Octauus Pater Ioannes Baptiſta Lezana Carmelitanus vetus ſui Ordinis, & nobilis magiſter, Conſultor Sacræ Congregationis Rituum, & Iudicis, & in Romana Sapientia Lector, in libello (mitto alia opera) quem *Columna Immobilis*, inſcripſit. *Abſtinendum cenſeo à comprobatione alterius certiſſimæ veritatis, cui præſens innititur de aduentu ſcilicet eiuſdem Diui Iacobi in Hiſpaniam, quia nec illam negat pars aduerſa, nec aliquis ſanæ mentis negare poterit, prout dixit Laurentius Lauarra Gallicus author in notis ad Tertullianum lib. aduerſus Iudæos, nota 4. & quia veritati iniurius eſt qui vel eam ad iudicium trahit.* Io. Bapt. Lezana.

Nonus Rodericus à Cugna, notior ſuis & virtutibus, & doctrinis, & ſtudiorum grauiorum monumentis, quam vt commendatione indigeat, Archiepiſcopus Bracharenſis, & poſtea Olyſipponenſis. Ab eo aduentus in Hiſpaniam Iacobi ſæpe aſtruitur. Vnum delibo locum in Dedicatoria Epiſtola tractatus de Primatu Bracharenſi Eccleſiæ, quem Beatæ Virgini Mariæ dedicauit. *Quis ignorat*, ait, *Beatum Iacobum huius ſplendoris authorem conſilio ductuque tuo Hiſpaniam aduenisse, vt Eccleſiam hanc tuam Bracharenſem ſummo honoris faſtigio ſublimaret? Quis* Rodericus à Cugna.

non

non nouit auguſtam hanc Aedem tuo nomine Auguſtiſſimo, dum viueres ſacram in hac vrbe à Diuo Iacobo fuiſſe conſtructam, erectam, dicatam?

Gabr. Treio Decimus Domn. Gabriel Treio Cardinalis Epiſcopus Malagenſis, Præſes in ſupremo Caſtellæ Concilio, ante Collega maior, & Cathedraticus Salmaticenſis, hic in Epiſtola miſſa ad Magiſtrum Biuar Commentatorem Flauij Dextri quæ initio habetur, ſic. *Condecoraſti*, inquit, *patriam noſtram: nam cum certiſſimum ſit eam ita prædicatione Apoſtolica inſignitam, vt teſte Tertulliano omnes termini Hiſpaniæ Fidem ſuſceperint, & Cypriano perſeuerauerint, non deſunt, qui opinionem famamque noſtram calumniare velint, & lædere, ſugillare, & commaculare. Nunc autem niſi proterue, & pertinaciter ſe gerere velint, clariori quam Phœbea luce adſpicient, quantum ab initio naſcentis Eccleſiæ profecerint Hiſpani.*

Addere hic volo tres Cardinales, qui etſi non ſcripto, verbo tamen illuſtre huic Traditioni teſtimonium reddiderunt. Vnus eſto idemmet, Card. Baron. quem dubium vidimus Baronium. Hic Romæ cum vidiſſet librum, quem Doctor Didacus del Caſtillo pro hac aduentus in Hiſpaniam *Iacobi* cauſa apologeticũ & legiſſet, eum probatũ apud ſe publicè in corona laudauit, & ſuaſit typis mandari: quod argumento eſt eruditiſſimum virum ſententiam minime improbare, ſed rationes ambigendi aliquas prouocando Hiſpanorum ingenia, diluere eorum induſtria voluiſſe. Itaque noſter eſt, vt aliàs contendi, Baronius.

Car. Laudiu. Alter eſto Cardinalis Laudiuius Zacchia ſatis cognitus, & munerum quæ obijt, & litterarum

&

& litterarum, in quibus floruit fama. Qui in ea, de qua ſuperius multa diximus, vltima Breuiarij correctione, ad quam recognoſcendam inter iudices electus eſt, tot eam hiſtoriam de aduentu in Hiſpaniam, & in ea prædicatione Iacobi argumentis confirmauit, vt Hiſpanis ad ſe rogatum, vt eam ſuſtineret accedentes in admirationem adduxerit.

Tertius Cardinalis Caietanus Præſes Sacræ Congregationis Rituum, & Iudicis ab Vrbano Papa VIII. & quam inſtituit ad Correctionem Breuiarij, caput, & Princeps datus, à quo Traditio de aduentu, & prædicatione Sancti Iacobi in Hiſpania approbata, ac demum retineri iuſſa. Card. Caiet.

Nolo præterire duos Hiſpanos, qui tunc erant Cardinales Romæ, quorum ſuffragio cauſa hæc quam ſuſcipimus, mirè ſtabilitur. Alter Cardinalis Dom. Gaſpar Borgia Hiſpalenſis, & Toletanus Archiepiſcopus ſummus in omni genere virtutum, quæ Principem decent, vir. Igitur cum ei ſcripta quibus Iacobum in Hiſpania fuiſſe probatum erat, afferrentur, lecta commendauit, & in libelli ſupplicis formam redacta Summo Pontifici obtulit, eoque veritatem in ijs contentam confirmauit. Alter Dom. Balthaſar Moſcoſus, & Sandoualius, Archiepiſcopus item, qui nunc ſuperſtes eſt, Toletanus, ſplendore natalium, virtutum luce conſpicuus, ad quem tum Romæ commorantem cum Michael Erze Ximenez tractatum de aduentu Iacobi attuliſſet, is diligenter lectum vehementer probauit, authorem fouit, & ornauit: & operam ſuam apud Pontificem, & authoritatem interpoſuit. Card. Borgia Car. Sandoual.

Ericius

Ericius Puteanus Primarius Iuſti Lipſij, & iuſtus diſcipulus qui Apologiam Magni Comeſtabilis Latinam reddidit.

Ioannes Baptiſta Valenzuela Epiſcopus Salmanticenſis lib. de aduentu Sancti Iacobi. Tres inſignes Dextri Commentatores M. Fr. Franciſcus de Biuar. Rodericus Carus, Thomas Tamayo de Vargas. Alter Tamayus in Martyrol. Hiſpan. Antonius Caracciolus Theatinus acer huiuſce aduentus vindex. Didacus del Caſtillo in Indice Authorum pro Iacobo. Michael Martinez del Villar in notis ad ſententiam pro Eccleſia del Pilar, Frater Bernardus de Britto Luſitanus Regius, ac elegans *Hiſtoricus* in Monarchia Luſitana p.2. lib.5. Ioannes Solorzanus Pereira de iuſto Indiarum Imperio.

Claudant Agmen duo, qui omnium inſtar eſſe poſſunt. Primus Pater Gaſpar Sancius è Societate IESV inſignis Sacræ Scripturæ, Interpres eruditionis variæ, ſolidæ, profundæ exquiſitæ elegantiæ virtutis eximiæ, quem ob eam *Venerabilem* appellare Hiſpani ſolent, cuius ego aliquando Madritti ſtudiorum nouæ *Academiæ* cauſa eo aduocatus felix, & fortunatus, & ſocius in ſtudijs, & in Gymnaſio libens interdum auditor, & admirator fui. Hic ſolidam, & integram diſputationem *De Prædicatione Sancti Iacobi Apoſtoli Zebedæi filij* in Hiſpaniam inſtituit, & continuauit, & in iuſtum opus redegit, quod Appendix eſt tomi commentar. in Acta Apoſtolor. Quo nihil eruditius, nitidius, elegantius, accuratius excogitari poteſt. Secundus Michael Erze Ximenez vtriuſque Iuris, doctor, Regius Toleti

Gaſpar Sanc.

Michael Erze Ximenez

Ca-

Capellanus, qui tomum integrum in duas ſe-ctum partes de aduentu, & prædicatione Apo-ſtoli Iacobi in Hiſpania edidit lingua ſua verna-cula, quem ego cum iam opuſculum hoc meum penè confeciſſem, intenta cura legi, & hominis ſum eruditionem admiratus. Liber eſt accu-ratè ſcriptus, & dignus ingenio Hiſpanico, & qui ab aliquo in Latinam linguam transferatur: vt publici iuris vbique ſit.

Coronis operi, & Corona eſto teſtimonium, inſignis noſtro, & proximo Seculo in Sacra Theo-logia viri fama virtutis, & doctrinæ celeberrimi, & operum multitudine, & varietate notiſſimi, Pa-tris Franciſci Suarij è Societate IESV, Doctoris eximij, & in Romana, Complutenſi, Salmanti-cenſi, & Conimbricenſi Academijs Magiſtri Pri-marij, & Palmarij, quem ſummus ſuæ ætatis lit-teraria gloria vir, & multis ac præclaris nobili-tatis, & virtutis, & fortunæ ornamentis illu-ſtris, & congeſtis honoribus clarus Dom. Al-phonſus Albicaſtrius Conimbricenſis Antiſtes *Al-terum Auguſtinũ* ſolebat appellare, quemque ego adoleſcens ſenem cognoui Conimbricæ, ac eo me nomine beatum exiſtimo, à cuius vix le-ctione recedo, & opera nocturna diurnaque manu verſo, & palam tueor, & admiror, ac mente retineo, eiuſque rei ſpecimen haud ſemel præbui. Hęc pręfari volui, vt quãti apud me ſit, & apud om-nes alios eſſe debeat huius viri authoritas, cõſtet; idque vt perſuadeam, moneo quicquid ab alijs, & à me hactenus ſcriptum eſt ad probandum Sancti Iacobi in Hiſpanicam aduentum, & prædi-cationem in eadem, id omne à Suario ante oc-

cupatum : adeo vt hæc illius proximè adducenda ſententia,totius operis mei compendium eſſe videatur. Ergo Suarius 1. tom de *Relig.* lib. 2. cap. 9. Præterea inter feſta Apoſtolorum feſtum Sancti Iacobi Maioris, Fratris Ioannis valde celebre eſt in vniuerſa Eccleſia, præſertim in noſtra Hiſpania; quæ illum ſingulari ſolemnitate colit, vt Patronum, & parentem tribus potiſſimum de cauſis. Prima eſt, quia Primus ipſe Euangelium in Hiſpania prædicauit,prius enim quam martyrium pateretur,decimo anno poſt Chriſti Domini mortem Hiſpaniam peragrauit, & Fidei ſemina iecit, quia licet tunc parum fructus attulerit, tamen virtute illius magnum Deus poſtea incrementum dedit. Et quamuis hoc tempore nonnulli tentauerint hunc Iacobi in Hiſpaniam aduentum in dubium reuocare,nullo modo poſſunt antiquiſſimæ, & generali omnium Hiſpaniarum traditioni reſiſtere, nec aliquid proponere, quod probabilem rationẽ dubitandi faciat. Nam quod Iacobus ante martyrium potuerit in Hiſpaniam venire, & redire Hieroſolymam, non repugnat his, quæ de Apoſtolorum prædicatione, & *geſtis* in actis Apoſtolorum, vel in alijs hiſtorijs fide dignis narrantur. Quia licet ex Actibus conſtet per duos, vel tres annos primos ab Aſcenſione Domini, Apoſtolos non receſſiſſe Ieroſolyma, tamen de cæteris annis vſque ad Iacobi martyrium nihil de factis à Iacobo, & alijs narratur, ſed ſolum de Petro, & Paulo. Item licet ante Petri vincula (quando iam fuerat Iacobus mortuus) non credantur fuiſſe diuiſi Apoſtoli in Orbem terræ ad prædicandum non reuerſuri amplius in

Suarius

Ieruſalem; tamen nihil vetat, quo minus ante id tempus exierint per diuerſas Prouincias, & digreſſiones facerent, & iterum Ieroſolymam redirent. Sicut ſcimus Petrum intra id tempus Antiochiam iuiſſe, ibique ſedem ſuam fundaſſe, licet interim Ieroſolymam proficiſceretur, & Iudęam viſitaret. Sic ergo potuit Iacobus intra idem tempus migrare in Hiſpaniam, & ibi prædicare, & poſtea Ieruſalem redire.

Neque etiam obſtat, quod eo tempore Apoſtoli Euangelium non prædicarunt Gentibus vſque ad viſionem Petri. Act. 10. Primum quidem quia fortaſſe in Hiſpania etiam tunc aliqui Iudæi habitabant, quibus annunciari poterat Euangelium. Nam (vt colligitur Act. 1.) Iudæi diſperſi erant per omnem nationem, quæ ſub cœlo eſt, quandoquidem ex omnibus venerant Ieroſolymam, ergo etiam in Hiſpania eſſe poterant Iudęi, quibus prædicaretur Euangelium. Tum etiam, quia non eſt certum ante reuelationem factam Petro non fuiſſe Euangelium Gentibus prædicatum; nam certè Paulus ſtatim poſt conuerſionem ſuam in Arabiam abijt, & in alias Regiones, vbi veriſimile non eſt ſolis Iudæis prædicaſſe, cum ipſe eſſet Gentium prædicator, & non ab homine, nec per hominem, ſed per IESVM Chriſtum edoctus eſſet, quid, quibus, & quando prædicaturus eſſet. Idem ergo credi poteſt de Iacobo, quem Deus in prædicatorem, & fundatorem fidei in Hiſpania elegerat. Vnde reuelatio illa Petri eò tendit, vt Eccleſiæ vniuerſæ, & præſertim ex Iudæis collectæ publicè iam proponeretur, omnes ſaluari poſſe per fidem Chriſti, &

ideo omnes ad Euangelium vocandos eſſe. Vſque ad illud ergo tempus, non fuit hæc veritas ita publicè declarata, vt inter Iudæos Gentibus prædicaretur Euangelium, neque ex Iudæis, & Gentibus vna Eccleſia congregari cœperit, nihilominus tamen potuit ante illam reuelationem alijs Apoſtolis inſtinctu diuino inſpirari, vt ad Gentium Prouincias irent, eiſque prædicarent. Tum denique quia illa reuelatio facta eſt Petro quatuor, vel adminus tribus annis ante mortem Iacobi, & illud erat ſufficiens tempus, vt iret in Hiſpaniam, & per vnum, vel per duos integros annos ibi prædicaret, & poſtea Ieroſolymam reuerteretur.

Quod ſi hoc non repugnat Canonicæ Hiſtoriæ, neque alijs dogmatibus receptis, parum profecto refert, quod priuatæ hiſtoriæ humanæ illorum temporum, illius peregrinationis Iacobi mẽtionem non fecerint. Tum quia in ea Iacobi peregrinatione nihil accidit adeo publicum, & prodigioſum, vt in vniuerſum Orbem illius fama exierit, quo poſſent excitari hiſtorici ad id memoriæ prodendum. Tum etiam, quia illis temporibus non fuerunt in Hiſpania diligentes ſcriptores rerum, quæ in ea gerebantur. Externi autem non poterant facile illarum notitiam habere, niſi fortaſſe earum, quæ ad publica bella, & Reipublicæ ſtatum, & dominium pertinebat; nam aliarum rerum pertinentium ad Religionem paruam, aut nullam rationem, vel curam habebant. Vnde cum illa ætate non fuerint ſcriptores Eccleſiaſtici; qui de rebus Hiſpaniæ mentionem fecerint, niſi tenuem, mirum non eſt, quod in-

hi-

hiſtorijs antiquis, nihil de hac profectione Iacobi in Hiſpaniam reperiatur. Nam profecto ſi Lucas Acta Petri, & Pauli poſteritati ſcripta non reliquiſſet, multæ illorum Apoſtolorum peregrinationes obliuioni traditæ eſſent, nec aliter quã ex traditione ipſarum Eccleſiarum, quas fundaſſent cognoſci potuiſſent. Sicuti profectio Petri Antiochiam, quæ à Luca omiſſa eſt, non aliter quam ex illius Eccleſiæ traditione cognita fuit, nec ad noſtram notitiam perueniſſet, niſi ex monumẽtis illius Eccleſię Clemens Alexãdrinus, & ab illo Euſebius, & Hieronymus illã ſcriptam reliquiſſent. Sic ergo Aduentus Iacobi in Hiſpaniam, non niſi ex antiqua Hiſpaniæ traditione inquirendus eſt, hanc autem non permiſit Deus excidere, nec obliuioni tradi, nec in angulo concludi, ſed ab vniuerſis Eccleſijs Hiſpaniæ retinecri. Quis ergo audebit huic traditioni contradicere, aut quomodo aliæ Eccleſiaſticæ traditiones inconcuſſæ conſeruari poterunt, ſi huic fides non adhibeatur?

Eo vel maximè, quod non tantum à publica fama per dimanationem à parentibus ad filios, ſed etiam à ſolemni, & antiquiſſimo monumento Cæſaraugustano teſtimonium habeat hęc veritas. Nam Cæſaraugustæ, & in vniuerſa Hiſpania eſt receptiſſima traditio, cum Beatus Iacobus illuc perueniſſet, & animo, ac cogitatione ſuſpẽſus eſſet, quod paucos homines ad fidem trahere potuiſſet, Beatiſſimam Virginem in corpore mortali ei apparuiſſe, eumque fuiſſe conſolatam, & ab ea certiorem factum per Diſcipulos paucos quos congregarat, complendum fuiſſe, quod ipſe

ipſe perficere non potuiſſet. Et in huius beneficij æternam memoriam inſigne Templum, & valde honorificum ibi fundatum eſt. Quod in Collegiatam Eccleſiam erectum magnis exemptionibus, & priuilegijs Apoſtolicis donatum eſt, & S. Mariæ de Columna, vulgò, del Pilar, dicitur, quia Saxum, vel Columna in eo cernitur, quam ipſam ſacram Virginem ſuis pedibus calcaſſe eadem docet traditio. Hæc eſt ergo prima cauſa ob quam merito Hiſpania feſtum Sancti Iacobi ſumma veneratione colit, ſimulque ipſius beneficium recognoſcit, quod eius occaſione Beatiſſima Virgo, antequam ex hoc mundo diſcederet, Hiſpaniam conſolari, & ſua præſentia honorare, & protectionem eius ſimul cum Iacobo aſſumere dignata fuerit.

Alia cauſa eſt, quod ſacrum Iacobi Corpus poſt martyrium naui impoſitum, diuina prouidentia, & peculari eiuſdem Spiritus Sancti fauore in Gallæciam Hiſpaniæ Prouinciam appulit, ibique vſque ad hodiernum diem, ſumma gentium veneratione colitur. Tertia denique cauſa eſt, quod Iacobus innumeris amoris ſignis, & beneficijs in Hiſpanos collatis, ſe ſemper oſtendit ſingularem illorum Patronum, & benefactorem, quæ res notiſſima eſt in hiſtorijs, nec in his amplius immorari licet. Ex his vero duobus poſterioribus rationibus multum apud me prima confirmatur. Non enim ſine cauſa Iacobus poſt mortem, & corporis præſentia, & glorioſi ſpiritus fauore tam propenſum in Hiſpanos ſe ſe oſtēdit. Sed profecto ea cauſa fuit, quod in Chriſto IESV in Euangelio ipſe illos genuit, & illius

pro

protectione, ac precibus non ſolum magna ſoliditate in fide permanent, ſed etiam eorum miniſterio, & induſtria Deus vti voluit ad Fidem innumeris gentibus, & vt aiunt nouo mundo prædicandam.

His Suarius ratiocinationem, & ego librum abſoluo.

FINIS.

INDEX

F

10'' 2/5